



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,  
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

**Regnault, Valère**

**Mogvntiæ, 1617**

Libri II.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

258. Quintum est ex Angelo Excommunicatio 5. casu i. n. 39. & Sylva. Absolut. 4. num. sexto post Glossam ad cap. finale De offic. Ordinarij: eum cui facultas absolueandi cōfertur privilegio perpetuo ratione dignitatis, posse vices suas alteri committere iuxta idem cap. Ideoq; inferiorem Episcopo ex ipsius commissione posse absolueere ab hac excommunicatione in casibus in quibus eidem Episcopo talem absolutionem concedi habitum est antea. Quod illi addit pariter de inferiore Abbatis, vel alterius Prelati Religiosi, qui ei commiserit absolutionem pro casu (Regula) qui primus est antea propositorum.

259. Sextum est, quod Caiet. in verbo Excommunicatio cap. 10. sub finem Sylva. Absolut. 3. num. 16. Nauarr. cap. 27. num. 89. & alij passim admonent: antequam Episcopus absoluat in supradictis casibus: eum qui absolueendus est; prius quantum potest debere non modo Clerico quem iniuria affecit, satisfacere iuxta cap. Porro & cap. Parochianos, & cap. Eanoscitur De sentent. excomm. sed etiam prius prestare iuramentum, quod cessante impedimento quo detinetur, se presentabit Apostolice Sedi: mandato ipsius pariturus iuxta cap. De cetero & cap. Quod de his & cap. Quamuis De sentent. excomm. Quod aduerte ita esse accipiendum, vt quoties impedimentum fuerit perpetuum, sicut est in mulieribus, senibus & nonnullis aliis, tale iuramentum exigi non debeat. Id quod loco cit. Sylva. annotat ex Innocentio ad memoriam cap. Quamuis, ex quo ipsum colligitur. Ratioque accedit, quia ridiculum esset tale iuramentum aut exigere, aut prestare, quandoquidem esset de eo quod fieri non potest. Adde nec exigi debere quoties casus occurrerit; in quo Episcopus absolueere potest, non quidem ratione impedimenti, sed ratione dignitatis Episcopalis: vt quando leuis est iniuria. Ratio patet, quia tunc absolutio conceditur Episcopo, non ob impedimentum a deo iudicatum Sedem Apostolicam, sed in gratiam dignitatis Episcopalis. Quoquidem modo, cum in Conc. Trid. sess. 24. de reform. cap. 6. concedatur Episcopis ipsis vt in quibuscumque casibus occultis Sedi Apostolice referuatis, delinquentes quoscumque suos subditos in sua Diocesi absolueere possint; sit ea de causa vt Episcopus ipse in talibus casibus non teneatur ante absolutionem exigere à Penitente iuramentum, quod

260. fisset se S. Pontifici, mandatis ipsius pariturus. Idemque dicendum est pariter de eo qui à casibus referuatis absolueret ex privilegio, quale plerumque dari solet in Iubileis.

Postremum est sicut excommunicatus, de quo hactenus dictum est, potest ab Episcopo absolui, si legitimum impedimentum habeat a deo iudicatum Sedem Apostolicam, aut ad ipsius legatum: ita etiam excommunicatum quacumque alia excommunicatione S. Pontifici referuata posse similiter ab Episcopo absolui, dum si nulli impedimento laborat; prius satisfacta parte læta quantum oportet, & prestito iuramento quod se presentabit ipsi S. Pontifici cum priuam poterit hoc ante Nauarr. initio citatum num. 90. Panormitanus notauit, ad cap. De cetero num. 1. De sentent. excomm. Et Syluester Absol. 4. num. 7. communem sententiam esse ait quæ videtur satis colligi ex cap. Eanoscitur & cap. Quod de his De sentent. excomm. & ex cap. Eos eod. tit. in 6. in quibus Papa loquitur indistinctè de excommunicatis qui Sedem Apostolicam, à qua absolueendi erant, adire nequeant; & ea de causa permittit Episcopis, ipsorum absolutionem. Accedit, quod præsumendum sit de pietate Apostolica, quod vbi par est ratio, pari benignitate & indulgentia in filios vti velit: nisi aliud significetur in referuatione excommunicationis: vt fit dicendo quod eà irretitus non possit per alium quam per Papam absolui, excepto mortis articulo. Ceterum quia meminimus aliquoties Legati Sedis Apostolice, non erit abs re obiter monere antequam finem faciamus: Legatum Papæ à latere, seu Legatum Cardinalem, posse ab excommunicatione eide in Papæ referuata absolueere (quantumcumque iniuria enormis fuerit) quandiu extra almam Urbem est in sua legatione: siue excommunicati de ea sint pronuncia ad quam mittitur, siue extranei seu aliunde venientes, vt communem Doctorum sententiam esse notat Sylva. in verbo De legatis quæst. 12. p. r. cap. Ad eminentiam & cap. Quamuis De sentent. excomm. Alios Legatos vero iuxta cap. penult. De offic. Legati, id non ita posse: quia vradem cap. verbo Commissum Glossa notat, tantum possunt absolueere dum sunt intra terminos provincie sibi commissæ: actantum eos qui sunt de ea ipsa Provincia. De qua re D. Anton. 3. parte tit. 24. cap. 1. sub finem.

FINIS.

LIBER SECVNDVS  
DE PRVDENTIA, CVM QVA O-  
PORTET CONFESSARIVM PROCEDERE IN  
EXECVTIONE MVNERVM SACRI MI-  
NISTERII SVI.

P R A E F A T I O.

**C**VM in iudicio fori penitentialis, vt ab initio diximus, non tam agatur vt Penitens puniatur, quam vt emendetur, & saluetur: iuxta illud Domini nostri Ioan. 2. Non misit Deus filium suum in mundum vt iudicet mundum, sed vt mundus saluetur per ipsum: ] Confessarius in illo exercendo, sustinet partes non modo iudicis, sed etiam Medici: sicut & peccata non modo sunt reatus, & delicta, sed etiam lethales morbi, gravissimæque vulnera animæ inflicta. Vnde vltra prius traditam in precedenti libro capite duodecimo & decimotertio, scientiam iudiciale[m], seu requisitam ad ferendam sententiam in foro Penitentiali, necessaria illi est medica: prout Nauarr. De Penit. distinct. 6. capite 1. §. Caueat. numer. 32. appellat, idem significans quod alij, cum dicunt præter scientiam speculatiuam, requiri in Confessario practicam: aut præter scientiam requiri prudentiam. De qua in cap. Omnibus vtriusque sexus, De peniten. & remiss. §. Sacerdos, sic dicitur Sacerdos autem sit discretus & cautus, vt more periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati: diligenter inquirens & peccatoris circumstantias, & peccati quibus prudenter intelligat quale debeat ei præbere consilium, & cuiusmodi remedium adhibere; diuersis experimentis utendo ad saluandum egrotum. ] Ex quibus verbis intelligere licet, eam, de qua agimus, siue scientiam medicinalam, siue scientiam practicam, siue prudentiam, generaliter consistere in indu-

stria,

stria, qua Confessarius tractare debet cum Penitente, exequendo munera sui Ministerij in usu Sacramenti Penitentia: adeoque ipsam variam esse, pro eorundem munerum varietate. Hac autem qualis sit, sic accipe. Cum in usu Sacramenti Penitentia Confessarius gerat Officium, tum Iudicis à Christo constituti in hoc foro: tum Patris spiritualis, ut Christi coadiutoris, ad faciendos ex filiis Diaboli, filios Dei: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt: tum etiam Medici animarum ad earum conservationem, & incrementum in diuina gratia, & virtutibus tanquam vitæ sanitatæque spirituali: tum demum Magistri ad earum directionem in vita spirituali. Ex officio Iudicis incumbit illi primario quidem, munus absoluedi à peccatis, & ligandi ad penam pro eis imponendam in satisfactionem. De quo agere differemus in sequentem partem, in qua locus est proprius dicendi de Sacramentali absolutione & satisfactione. Secundario verò, seu in ordine ad primarium predictum, incumbit illi primo, munus audiendi confessionem Penitentis. Secundo, munus eundem Penitentem interrogandi ad plenè & integrè aperiendam conscientiam suam, totumque animæ suæ statum patefaciendum.

Ex officio autem patris spiritualis, incumbit illi primo munus adhortandi & monendi Penitentem. Secundo munus eum disponendi ad contritionem, detestationem peccatorum suorum. Tertio munus excitandi ipsum ad eandem detestationem mandandam executioni ac instruendi de ratione qua mandanda est. Quarto munus expendendi propositum ipsius non peccandi de cætero, eique providendi aduersus relapsum in peccatum.

Ex officio porro Medici animarum, incumbit illi, primo munus dijudicandi in iis de quibus Penitens confitetur; quanam sint vera peccata, & quanam tantummodo scrupuli. Secundo munus iudicandi de peccatorum varietate & gravitate, maxime num sint mortalia an venialia. Tertio munus iudicandi de peccatorum & peccatoris circumstantiis: ex capite Omnis vtriusque sexus De penitentia & remissione Sacerdos. Ad qua tria munera debet exequenda instruetur Confessarius per dicenda in tertia parte de ratione iudicandi de peccatis. Quarto munus tranquillandi animum Penitentis agitatam scrupulis, aut contra, perniciose vacuum non modo scrupulis, sed etiam Dei timore, hunc incutere, per inculcationem penarum, præsertim inferni maximarum, quæ ipsum manent. Quinto munus ipsum muniendi præsidio conservanda augendæque spiritualis sanitatis.

Ex officio denique Magistri incumbit illi munus erudiendi rudem in fide, informandique ignarum de via salutis, & de dispositionibus ad eam necessariis in anima; deque ratione eam tenendi. Pro qua munerum varietate, ex qua pendet prudentia nobis proposita varietas, variis capitibus librum hunc distinguemus, omittis iis quæ alio pertinere præmonuimus. Atque primum erit de prudentia Confessarii in audienda confessione Penitentis. Secundum de prudentia in eodem penitente interrogando. Tertium de interrogationibus eidem faciendis à Confessario. Quartum de prudentia in adhortando, ac monendo Penitente. Quintum de prudentia in eodem disponendo ad contritionem, detestationemque suorum peccatorum. Sextum de prudentia in illo excitando ad eandem exequendam. Septimum de ratione qua contritio mandanda est executioni. Octauum de prudentia expendendi in Penitente propositum non peccandi de cætero, iuuandique ipsum aduersus reciduum. Nonum & decimum de prudentia in tranquillando ipsius animum scrupulis agitatam. Undecimum de prudentia Confessarii in agendo cum Penitente, quem deprehendit, ut scrupulis, sic & Dei timore carere. Duodecimum de prudentia in Penitente iuuando remediis aduersus prauas suas propensiones, & adiumentis ad progressum faciendum in Dei gratia & virtutibus. Decimum tertium de prudentia in erudiendo rudem in fide, nec satis scientem viam salutis. Decimum quartum de dispositionibus necessariis in anima ad tenendam viam salutis. Decimum quintum de ratione tenendi eandem viam. Quibus nonnulla appendicis loco addentur de usu prius dictorum, & ratione supplendi, quæ deesse, addendæque videantur.



CAPVT PRIMVM.

De prudentia Confessarii in audienda confessione Penitentis.

SVMMARIVM.

- 1 Animi preparatio cum qua debet Confessarius ad tanti Penitentis opus accedere, quodque tam sibi quam Penitenti gratiam Spiritus sancti implorare debeat.
- 2 De severitate cum suavitate miscenda in audienda confessione.
- 3 Accedere debet Confessarius in se desiderium salutis animarum, & quomodo.
- 4 Curare debet ut Penitens decenter se habeat.
- 5 Cunctantem in aggrediendo confessionem debet monere, ut ea quæ magis conscientiam suam gravant,

- quamprimum proponat, ad manifestationem status animæ suæ.
- 6 Vitandus inter confitendum, mutuus Confessarii & Penitentis aspectus.
- 7 Vitandum etiam signum externum interioris abominationis peccatorum, quæ in confessione audiuntur.
- 8 Ratio agendi cum Penitente sua dicente peccata in confessione.
- 9 De supplendis defectibus illius.
- 10 Modus perducendi illum ad omnia peccata sua detegenda, cum existimatur aliqua celare.
- 11 Attendendum, An aliquid dicat unde intelligatur aliquas præcedentes confessiones fecisse inuvalidas.
- 12 Pauci potius serio, quam multi perfunctorie Penitentes audiendi, neque cæteris preponendi, qui maxime indigent aut maioris momenti sunt.

Ad hanc

1. **A**D hanc prudentiam pertinet primò vt Confessarius forti animo ad opus tanti momenti exequendum accedat; vitam etiam ipsam Christi imitatione, paratus profundere potius, quam officio suo deesse in hac templi Dei repurgatione à peccato, per quod vt per idoloſi quoddã abominabile, polluitur, fitque Demoniſ habitatio, in ipſius Dei grauiffimam iniuriam & animæ Chriſti ſanguine perſuſa, ſummam pernecem. Neq; ſibi adeo fidat, etiam poſt diligentem operam propoſitam in paranda neceſſaria ſcientiã, vt non præmuniat ſe oratione antequam audiat confiſentem. Debet igitur per illud *Psalm. 50.* Cor mundum crea in me Deus, & Spiritum rectũ in noua in viſceribus meis] vel illud, Veni ſancte Spiritus] aliudve ſimile, implo-  
 2. **P**ertinet ſecundo, quod Nauarr. *ibidem. num. 2.* tangit, vt in ipſo Confefſatio paterna quædam, & ſpiritualis grauitas eluceat, ita vt nihil videatur in vultu & geſtibus, vel motibus corporis, nec in voce audiatur, quod non deceat virum maturum, & qui meminit ſe Dei locum tenere, à quo ſit Iudex conſtitutus in cauſa maximi omnium momenti. Suſcipiat tamen Pœnitentem beneuolè paratus ipſum iuuare, ſecumque onus portare: & habeat dulcedinem in affectione, pietatem in alcerius diſcrimine, diſcretionem in varietate, pro ut habetur in *cap. 1. De pœnitent. diſtinct. 6. §. Quibus cognitis.* Indican-  
 3. **Q**uæquam vt cauere debet ne terrorem incutiat ei, quem conſolari oportet; ita etiam ne elementã nimia vtatur erga eum, quem acriter increpare conuenit: ſic enim incidere in peccatum Heli grauiffimè reprehenſum, & punitum à Deo *1. Reg. cap. 2.* Item quia familiaritas nimia parit contemptum, debet Confefſarius ſeuere potius quam familiare ſe exhibere in confeſſionibus audiendis, præſertim feminarum: vt Polancus expreſſit in *Directorio cap. 1. art. 4.* Et Dominus noſter exemplo ſuo doquiſſe monſtratur ex eo, quod matri ſanctiſſimæ in nuptiis familiariter vini defectum denunciante, verbis illis ſeueritatem præſeferentibus, reſponderit. Quid mihi & tibi mulier. *Joan. 2.* quodque nõ quã etiã maleuolis exprobatã ſit amicitia mulierum, ſicut amicitia peccatorum & publicanorum: quod illi nõ omiſſerunt, ſi in caſu florenti ætate, non vxoratum notaſſent familiariter cum

mulieribus tractantem, ſicut cum publicanis & peccatoribus. Accedit quod ipſius diſcipulli *Joan. 4.* mirati ſunt, quod cum muliere loqueretur; tanquam de re ſcilicet iniuſitata. In uiuerſum autem obſecrare debet potius, quam aſperè increpare: ſenos quidem tanquam patres vel matres: iuuenes verò tanquam fratres, aut forores in omni caſtitate  
 4. **P**ertinet tertio, quod Polancus etiam expreſſit in *ſequen. 6. 2. art. 1.* vt Confefſarius renouet deſiderium ſalutis animarum. & diuini honoris, ac in toto confeſſionis de curſu exerceat charitatem in Pœnitentem, ob quam principaliter debet acceptare officium audiendi confeſſiones; non autem principaliter ob lucrum, fauorem, curioſitatem, vel carnalem voluptatem, quod eſſet peccatum mortale, vt notat Nauarr. *in fine citati cap. 10.* Exciter igitur & retineat compaſſionis affectum erga peccatorem longe deterius habentem eo, qui *Luce 10.* in latrones inciditſe dicitur; oculiſque mentis obſcurat illum ſibi, tanquam imaginem Dei, que perſuſa Chriſti ſanguine, diuinæ gratiæ reſtituta ſit formoſiſſima que eſſeſta: ſed per commiſſum peccatum mortale, turpiſſima reddita iuxta illud *Exod. 16.* Abominabilem feciſti decorum tuum. Ad quam priſtino nitore reſtituendam, illud ſingularè à Chriſto Domino miſericorditer inſtitutum eſt remedium; per quod peccata delentur & ex filiis tenebrarum ſunt filij lucis, ſolui à laqueis quibus à Diabolo captiui tenebantur ad ipſius voluntatem iuxta Apoſtolum *poſterioris ad Timoth. cap. 2. in fine.* Meminerit quoque aſſiduè Confefſarius, quæ ſint in hoc negotio ſuæ partes, ſeipſum reputando tum vt Stabularium illum Euangelicum, ad quem miſericordiffimus Samaritanum impoſitum iumento ſaucium ſeminium adduxerit curandam, cum pollicitatione compenſationis omnium quæ ſupererogari: tum etiam vt ſpeculato-  
 5. **P**ertinet quarto quod poſt Nauarr. & Polancum proponit quoque Iacobus à Graphiſ *lib. 1. de iſſonum aurearum cap. 24. num. 2.* vt Confefſarius aduertat, An Pœnitens (quem ſibi ſubiectum agnoſcat oportet) decenter ſe habeat: nempe An utrumque genua fleat, An caput aperiat, An ita ſe componat, vt non Sacerdotis faciem, ſed Crucifixi imaginem intueri velle videatur: quæ omnia ſi viderit ipſum ſua ſponte facere, laudet Deum; ſi ſecus, monere debet vt faciat, ac ſecum reputet ſe non coram homine peccatore, ſed coram Altiffimo conſtitutum eſſe, à quo humiliter, & cum ſumma reuerentia, veniam ſuorum peccatorum poſtulare debeat. Præterea illum doceat (ſi tam rudis ſit vt neſciat) ſe munire ſigno crucis dicendo: In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, cum eo que dicat confeſſionem generalem vſque ad verba *Mea culpa.* Quanquam poſtremum iſtud non eſt neceſſarium, vt Nauarr. monet in *ead. cap. 10. num. 7.*

6. **P**ertinet quinto quod ibidem Nauarr. ſubiungit, vt ſi pœnitens non incipiat ſtatim conſiſeri, ipſum admoneat, vt omnia ſua peccata quorum memoriam habet, & de quibus conſcientia magis ipſum remordet, quæque ſibi in extremis conſtituto à Dæmone obſcuri coram cœleſti Iudice maxime timeret, ſtatim exponat; culpam ſibi ſoli aut certè potius & principaliter imputando, quam cœlo vel Dæmoni, vel carni, vel ſodalibus, vel naturali complexioni; circumſtantiaſque neceſſarias declarande; ita vt per ipſum non fiet, quominus à Confefſario, perinde atque à ſemetipſo intel-  
 7. **P**ertinet ſexto quod poſt Nauarr. & Polancum proponit quoque Iacobus à Graphiſ *lib. 1. de iſſonum aurearum cap. 24. num. 2.* vt Confefſarius aduertat, An Pœnitens (quem ſibi ſubiectum agnoſcat oportet) decenter ſe habeat: nempe An utrumque genua fleat, An caput aperiat, An ita ſe componat, vt non Sacerdotis faciem, ſed Crucifixi imaginem intueri velle videatur: quæ omnia ſi viderit ipſum ſua ſponte facere, laudet Deum; ſi ſecus, monere debet vt faciat, ac ſecum reputet ſe non coram homine peccatore, ſed coram Altiffimo conſtitutum eſſe, à quo humiliter, & cum ſumma reuerentia, veniam ſuorum peccatorum poſtulare debeat. Præterea illum doceat (ſi tam rudis ſit vt neſciat) ſe munire ſigno crucis dicendo: In nomine Patris & Filij, & Spiritus ſancti, cum eo que dicat confeſſionem generalem vſque ad verba *Mea culpa.* Quanquam poſtremum iſtud non eſt neceſſarium, vt Nauarr. monet in *ead. cap. 10. num. 7.*

6. Pertinet sextò: quòd etiam Polancus habet in cit. art. 4. vt nec qui confitetur faciem Confessarij, nec Confessarius faciem confitentis videat, præcipuè in confessionibus mulierum: sed Pœnitente constituto ad latus, si nihil fuerit intermedium, quod ei præbendo autem mutuum aspectum prohibeat, manu ab eodem latere apposita maxilla, excludi poterit aspectus. Sic autem exterius constitutus Confessarius, interius mente ad Deum eleuata tacite oret vt diuina maiestas Pœnitenti auxiliu præstare dignetur ad verè agnoscenda, & cum vera contritione confitenda sua peccata. Quam mentis eleuatio potest & debet breuiter fieri, vt nihil obfite attentioni necessariae in audienda confessione. Oret patiter & pro seipso, si ex tali auditione tentationem aliquam in se sentiat; medicos corporum imitatus, qui visitantes in fectum morbo cò agio, solè habere aliquid odoriferum per quò còtatione se protegit, defenditq; posse sperat. De quo antidoto nihil ad sui conseruatione sollicitis contingit frequenter, vt quam in aliis pestilentiam spiritalem curare volunt, ipsi adhæresca; quasi insiliente in eos habente Dæmonium, & ita inualecente contra eos, vt nudi & vulnerati relinquuntur ad modum filiorum Scævæ Iudæi, de quibus Acto. 19.

7. Pertinet septimò, quòd ex communi omnium sententia habet Nauarr. in cit. cap. 10. num. 6. vt cum aliquod graue, turpeve peccatum in confessione declarari Confessarius audierit, nulla signa admirationis, abominationis, aut pauoris ostendas, siue spendo, siue se cruce signando, aut seipsum aliqua ratione commouendo: ne inde pudore, aut alia perturbatione affectus Pœnitens, à confessione desistat, saltem plane faciendâ. Quin potius, ac si nihil audiret, dissimulet vsq; ad finem confessionis, & tunc, cum vult ei pœnitentiâ imponere, grauiat eum & fœditatem peccatorum, quibus se còtaminat, exponat semper memòr, tum præsentis Dei cui cooperatur, vt cum timore sancto officium suum peragat: tum etiam humilitatis Christianæ, vt quam ex se ac seclis Dei donis (de quibus tanquàm alienis bonis malè impèdis redditorus est ratio) vilis sit expendens, se aliis minimè pferat.

8. Pertinet octauo, quòd idem author ibidem addit: vt si Pœnitens per seipsum peccata sua recenseat, Confessarius patiar ip sum pro sua voluntate exponere quæ meminit, ac confiteri statuit, quantumcumque rudi crassaque Mireua, & sine ordine exponat. Quia enim eotempore, quasi parturientes laborat, agendum est, cum illo, sicut cum femina parturiente agi solet: cum qua nihil attendatur, quo vel turberet vel impediti possit partus. Accedit quòd sic confessio magis spontanea esse censetur, faciliusque agnosceatur, quibus peccatis magis implicatus extiterit, & quæ magis sint in:erogando attingenda. Quanquam tamen si Confessarius aliqua non intellexit, præsertim de mortalibus, curare debet replicanda, vt melius intelligat: si que Pœnitens in aliquo delinqueret contra necessarias condiciones confessionis (suo loco in sequenti parte exponendas) benigne, ac mansuete reprehendendus est, & docendus de eo, quòd ipsum serpare aut cauere oportet. Vt si verborum inuolueris, aut nimia copia vtatur, suauiter moneri potest confessione simplicem nudamque esse debere. Item si personam aliquam velit nominare, aut si dicat, non occido, non iuro, nulli malè volo, suauiter monendus est ab illis abstinendum esse in confessione, cuius ratio, naturaque postulat, vt sit propriorum tantum peccatorum non alienorum: itemque sic accusario sui, non autem excusatio, aut commendatio. Monendus si militer est si superflua dicat, ea que ad rem non pertinent non esse commemoranda in confessione, & sic de cæteris, quorum admonitio non impediat cursum Pœnitentis, sed potius dirigat, vt bene monet Polancus in Directorio cap. 2. art. 2. sub initium.

9. Pertinet nonò, vt cum prudentia, & industria Confessarij eo spectet, vt quoad fieri potest, supplendo Pœnitentium defectus, illos disponat ad finem Sacramenti Pœnitentiæ consequendum: si que videat suum Pœnitentè velle peccata sua occultare, vel probabiliter credat ipsum obliuisci illorù, aut existimare mortalia non esse, quæ sunt: caute (inquit Nauarr. in eod. cap. 10. num. 7. sub initium) & prudenter eum dem ad peccata sua dicenda pertrahat, admoneatque esse in confessione exprimenda peccata, etiam ea de quibus dubitamus an illa còmiserimus, aut an peccata sint mortalia vel venialia

exprimenda, quòd dubitemus, nec simus certi. Quòd si recorde nurnos mortaliter deliquisse, sed in quo deliquerimus, ignoremus, confitendum esse, quòd mortaliter deliquerimus; etiam si ignoremus in quo. Atque si Confessarius hæc præstare omitat, censebitur scienter absolvere indignu: vt ex Archid. admonet Sylu. Confessio primò quæst. 17. Ratio autè qua Confessarius debet aut memoriâ lapsu in monere, aut ignari in instruere, satis intelligitur ex post dicendis in c. 4.

Modus ve: d pertrahendi Pœnitentem ad dicendum sua peccata esse potest, tum per interrogaciones, de quibus in sequen. cap. 3. tum per cohortaciones, quas ratio aut interior Spiritus sancti vnctio suggererit ad rem accomodat: vt verbi gratia proponendo ei suauiter, quòd agat cum Deo nihil ignorante, & ad eam quam expectabat ipso remissionem peccatorum, exigente eorundem peccatorum integrâ confessionem; per quam seipsum talem omnino coram Sacerdote lingua manifestet exterius, qualem se in corde agnoscat interius: ita vt recedendo de industria aliquid mortale, quo suam conscientiam nouit grauari, se nouo scelere còtaminet, ac instar Iudæ proditoris, dicendo Peccavi, laqueum collo inferat, quo spiritualiter suffocetur.

Addendo præterea persuasionem illam recedendi, non nisi à Diabolo prouenire posse, nobis tam promptum & efficaciu aduersus æternam mortem remedium inuidente. Nec enim aliunde prouenire posse videtur, quòd homo Christianus se à confitendo tanto opere auersum sentiat: quandoquidem ei sua fides ostendit: tum honestissimum opus esse illud, quo à fordibus mundatur anima: tum iustissimum, quo redditur Deo honor ablatu: tum vtilissimum, quo patet in cælum aditus. Ad quòd confirmandum facit, quòd tam audax fuerit in peccando; cum tamen eadem fides ostendat id esse tum turpissimum, vt pote quo scatur anima: tum iniustissimum, quo honor Deo debitus in Dæmonem transfertur: tum etiam perniciosissimum, quo ipsa etiam æterna miseria incurritur. Itaque nisi ipse Dæmon se inuoluerit, & illius rabiem per omnem æternitatem in se experiri; de locum clauibus, quibus cælum sibi clausum referret; soluanturque vincula, quibus teneatur captiuus à Diabolo ad ipsius voluntatem miseretur animæ suæ, quæ post Deum, nihil habere debet charius: aduertat quòd eam coniecit in statum Dæmoniaci muti à Domino lauati Matth. 9. & Lucæ 11. v. iudicio est, quòd ex communi Doctorum sententia, idem Dæmoniacus, peccato mortali in fectum mylticè delinqueret, ac referat tanquam pictura & umbra quedam: & ideo si horribile sit & miserabile à Diabolo hominem possideri corpore, multo magis esse, possideri animâ: Forti proinde animo imitetur Dauidem tantum regem Pœnitentem, què imitatus est peccatam: vt cum lætificauit Angelos, iuxta illud Lucæ 15. Gaudium est in cælis super vno peccatore pœnitentiam agente: ] & ipse gaudens in Domino dicat cum eodem Dauidè Psalm. 31. Delictum meum cognitum tibi feci; & iniustitiam meam non abscondi. Dixi tibi: Rebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.]

Addere etiam poterit Confessarius; nihil esse quòd peccata tua verearis dicere: quia quòd eamque confessus fueris, ita recitere debeo, vt mille mortes potius oppetere debeat, quam vel vnicum ex iis reuelare audeam. Item vt sibi persuadeat se confiteri Christo scienti omnia, qui & paratus est eum suscipere non minore benignitate (iuxta illud Psalm. 102. Quomodo miseretur pater filiorum, miserus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognouit figmentum nostrum) quam filium suum prodigum clemens ille pater Luc. 15. recepit: dummodo ipse, sicut idem prodigus, pœnitent ex toto corde, ac Christo omnia sua peccata, audiente Sacerdote (quem in hoc negotio suum Vicarium còstituit) cum vero emendationis proposito confiteatur. Cauere tamen debet Confessarius, ne nimius ac concionabundus in his sit: vna enim de conditionibus confessionis est breuitas, excludens ab ea quæ superflua sunt, tam ex parte Confessarij, quam ex parte Pœnitentis.

Pertinet decimò ad propositam prudentiam illud quòd habet Nauarr. in cit. cap. 10. num. 3. vers. 5. vt Confessarius in toto confessionis decursu attente consideret, An propter aliquam causam ex iis, de quibus ex instituto dicendum est

in sequenti parte suo loco, cum agatur de confessione, teneatur Pœnitens iterare aliquas suas confessiones præcedentes: si que eum teneri, iuxta dicenda in sequenti cap. 3. sect. 1. inuenerit, nec Pœnitens ipse aduertat, monet ipsum, quod debeat iterum examinare conscientiam suam; cum eoque agat, sicut cum eo agendum esse qui non discussit sufficienter conscientiam dicitur in sequenti num. 28.

12. Pertinet vnde dicitur vt Confessarius velit potius duos audire bene, quam viginti perfunctorie: quando quidem hoc quam illud melius est; vt bene ait Caiet. in verbo Confessor §. de prudentia Confessarij.

Pertinet postremò quod Polancus monet in Direct. cap. 1. artic. 4. in fine, vt quando Confessarius audire nequit omnes, libentius eos audiat, qui plus indigent, & quorum spiritualis profectus redundat, ad maiorem Dei gloriam, & maius commune bonum.

CAPVT SECVNDVM.

De prudentia Confessarij in interrogando Pœnitentem.

SVMMARIVM.

13. Modus quo ad officium Confessarij, Pœnitentem interrogare spectat.

14. De mortali peccato quod committitur id officij omittendo.

15. Non ideo Confessarius liberatur ab obligatione interrogandi Pœnitentem, quod hic videatur bene fecisse conscientie suæ examen.

16. Spectantia ad propositam prudentiam Confessarij.

13. Officium quidem Confessarij de se vt Sotus bene notat in 4. distinct. 18. art. 4. col. 14. non est interrogare Pœnitentem, sed audire confitentem: cum in foro pœnitentia non procedatur sicut in criminali per vim coactiuam ad extorquendam à reo confessionem, sed per spontaneam voluntatem confitentis; ita vt sufficiat simplicem illius confessionem audire, nec per se sit de ratione Sacramenti Pœnitentia: interrogaciones fieri in illius administratione, sed solum ex accidenti; nimirum cum acciderit Pœnitentem a liquid de necessarijs in confessione omittere: tunc enim id coniunctum esse cum ipso audiendi officio, patet, tum præcepto quod de interrogando datur. De Pœnit. distinct. 6. cap. 2. §. Diligens & De Pœnit. & remiss. cap. Omnis vrinque sexus §. Sacerdos: tum ex eo quod Confessarius fungatur officio Medici, qui infideliter ageret, si ægrotum aliquas morbi circumstantias pestilentes videret tacere ex ignorantia, nihil inquireret. Item officio Iudicis, qui similiter perfidè agit, sciens testem aliquid tacere, de quo ius habet interrogandi, & id omittit ac dissimulat. Item officio auditoris rationum dati & accepti, qui negligit in fraudem domini sui, multa recepta silentio pertransiit.

14. Vnde fit, vt Confessarius omittens interrogaciones debitas, peccet mortaliter ex Angelo, verbo Interrogaciones in principio (quem sequitur Nauarr. ad cit. §. Diligens num. 7. & in Enchir. cap. 5. num. 2.) quoties animaduertit & credit aliquid esse de quo necessarium sit Pœnitentem interrogari, vt valida sit & fructuosa ipsius confessio, neque interrogat. Ratio est: quia tunc supraddictum præceptum obligat, si vnquam alias, illiusque violatio est cum graui damno spirituali proximi & iniuria sacramenti Pœnitentia; si quidem per eam subtrahitur Pœnitenti consilium ac remedium debitum: & in Sacramento Pœnitentia, forma illius applicatur insufficienti materia; id est, absolutio sacramentalis applicatur confessioni defectuosa. Meitò igitur ait Angelus, quod Confessarius probabiliter credens eum quem audit confitentem omittente obliuione, vel ignorantia, vel ex negligentia aliquid necessarium ad validitatem confessionis (vt potest credere de magna parte hominum qui ferè rudes sunt, aut ignari, aut valde negligentes in examinanda conscientia, aut non norunt exprimere species, numerum, & circumstantias peccatorum, aut si norunt non faciunt) peccet mortaliter si ex negligentia, vel ex timore prætermittat interrogaciones quas ei conscientia probabiliter dicit esse de necessitate faciendas; multoque magis si planè aduertat videatque esse penitus necessarias.

15. Quod iuxta Melchiorum Canum in relict. De pœnit. par. 6. (quem Suarez aliquot de alijs citatis sequitur tomo 4. distib.

32. sect. 3. num. 7.) intellige procedere, etiam si probabile sit Confessori, Pœnitentem pro suo captu idoneam adhibuisse diligentiam in inquirendis ac commemorandis peccatis suis, & horum circumstantiis: sed ipse probabiliter nihilominus credat aliquam peccati circumstantiam necessariam esse inuenturam per suam interrogationem. Quanquam, videntur Canus addit, & ante eum Angelus loco citato, non debet Confessarius esse nimium scrupulosus in interrogando, quæ possibile est Pœnitentem commisisse: sed solum debet interrogare circa ea, quæ ab eo commissa esse probabiliter credit. Immo si non sciat certò esse commissa, poterit ad depellendum scrupulum considerare dictam extensionem Cani, non esse ab omnibus receptam. Nam præter Medicum, cuius in præced. num. 6. meminit Suarez: à Victoria De Sacram. num. 193. sic ait: Si probabile sit, quod Pœnitens fecerit sufficientem examinationem, licet credat Confessarius, quod ille alia peccata habeat præter ea quæ dixit: interroget Confessarius, si còmodè potest; sed nõ tenetur tunc interrogare. Iam si Confessarius probabiliter iudicet quod confitens sciat & aduertat se prætermittere illud ipsum de quo videretur interrogandus (nisi forè obseruaret dicere non non audere ex verecundia, vt addit Angelus) poterit quoque sibi persuadere, quod illud non perperauerit, aut de illo iam alias confessus fuerit.

Id quod approbat Nauarr. in Enchir. loco cit. Adde omittente aliquam interrogationem per inaduertentiam aut obliuionem non videri esse mortiferum: immo interdum nullum peccatum esse, expressit Sylu. Confessor 3. quest. 1. 4. quando nimirum inaduertentia fuerit inuincibilis, non item alias: quia vincibilis, siue ex leui siue ex leuissima negligentia proueniat; à mortali quidem, non tamen à veniali liberat omittentem.

Atque intelligitur ex his, ad prudentiam Confessarij in interrogando Pœnitente, pertinere vt quoties timet, aut dubitat, aut probabiliter putat ipsum scire aliquid quod ad validitatem confessionis declarari necessarium sit, curet per interrogaciones suppleendum illud, quod videri deesse: sin autem bona fide credat nihil ab eo omisum esse de necessarijs: aut aliquid omisum timeat, aut dubitet sine probabilitate, & ex scrupulo tantum, vel ex aliquo inani timore abstinere ab interrogacionibus, quas imprudèter vsurpàs venialiter salè peccaret. Ex Nauarr. ad ante memoratũ §. Diligens n. 7.

Pertinet præterea quod habet Polan. in Direct. cap. 2. art. 2. vt plus aut minus; hoc aut illo modo interroget pro qualitate Pœnitentis; & quemque de illis que sunt ei magis propria, spectatis statu & officio, conditioneque ipsius itemque de alijs quæ ex ipsius dictis elici possunt. Adde ex Sylu. Confessor 3. sub finem: vt caueat ne imprudèter interrogando det Pœnitenti occasionem ridendi, & postea iocandi de ineptis interrogacionibus sibi factis. Caueat etiam se aut Pœnitentem ad aliquod malum prouocare interrogando.

Pertinet adhuc vt consideret, & inter se distinguat ea, quæ ante vel post confessionem, & ea quæ in confessione interroganda sunt, vt ordinatè procedat sicut exprimit dum vacat Pœnitenti: cui si mors, vel phrenesis vel lingue impedimentum timeretur, summus ordo est nõ seruare ordinem alium, quàm quem discretio dicitauerit, vt rectè ait Polancus in cit. art. 2. Quæ autem sint ante, & quæ post confessionem, quæque in confessione interroganda, praxis nobis propofita exigit vt in particulari tradatur: quod fiet sub titulo interrogacionum Pœnitenti à Confessario faciendarum.

CAPVT TERTIVM.

De interrogacionibus Pœnitenti faciendis à Confessario.

SVMMARIVM.

17. Explicatio difficultatis, An ante inchoationem Confessionis, faciendæ sint Pœnitenti à Confessario interrogaciones aliqua.

18. Interrogaciones faciendæ respectu iurisdictionis: & quod de casibus referuatis interrogatio non sit necessario faciendæ.

19. Faciendæ respectu contritionis; & quid agendum sit cum eo, qui inimicitias gerere inuenitur.

20. Quid item cum obligato sub mortali ad aliquid exequendum.

21. De non absoluedo existente in statu peccati mortalis, quem deservere non vult.

22. Quid agendum sit, quando Confessarius dubitat an peccatum mortale sit illud, in quo Pœnitens perseverare statuit.
23. Quid item cum in tali negotio Confessarius & Pœnitens contrarias sententias sequuntur.
24. Quid cum uterque dubitat.
25. Interrogationes facende habito respectu ad confessionem depraesentiam.
26. Alia, habito respectu ad antea insitutam.
27. Quid agendum cum eo, qui non implevit inpositam Pœnitentiam, aut antea non fecit confessionem integram.
28. Quid agendum cum eo, qui inuenitur non fecisse sufficiens confessionem suam examen.
29. De erudiendo eo qui nimis rudis in fide esse deprehenditur.
30. Ratio accommodandi se in eare ad caput rudium.
31. Confessionem inchoatam Pœnitens, ad integram faciendam excitandus.
32. De eo qui confiteri vult non per se referendo sua peccata, sed respondendo interrogationibus Confessarii.
33. Prudentia in interrogando Pœnitente dum confitetur, & de quibus interrogandus sit.
34. Obseruanda in talibus interrogationibus.
35. Modus interrogandi de peccato carnis.
36. Interrogationes generales que subiungi possunt confessioni facte à Pœnitente.
37. Speciales magis ordinariæ & omnibus communes, secundum Decalogi ordinem digestæ.
38. Speciales diuersorum statuum propria secundum varietatem eorum digestæ.

Pœnitentem à Confessario interrogationibus dum confitetur iuuandum esse ad plenè integrèque aperitum conscientiam suam, ac totum animæ suæ statum patefaciendum, habetur ex cap. 5. De pœnitent. dist. 6. §. Diligens: & post peractam confessionem debere interrogationibus suppleri integritatis defectus, qui in ea contigerint, manifestum est ex dictis in proximè præcedenti cap. An autem aliquæ præmittendæ sint inchoationi confessionis, difficultas est.

De qua à plerisque statuitur, statim post confessionem generalem, antequam Pœnitens specialem narrationem suorum peccatorum inchoet, interroganda esse ea, que possunt absolutionem impedire, aut difficilem reddere; ne post eam in toto, aut in maiori parte factam, Pœnitens ipse cogatur absque absolutione recedere. Pro qua opinione Nauarr. ad citatum §. Diligens num. 12. adfert. Tum quod frustra expectetur et tentus, cuius nullus est effectus, vt habet receptum axiomatis: deoque ad absolutionem conseq̄endam, confessio frustra fiat ei, qui nequit illam dare. Tum quod scandalizandus sit Pœnitens, si postquam totam suam vitam Confessario aperuit, audias ab eo, Non possum te absoluerè. Pro contraria opinione vè ad adfert. Tum quod in cap. Quod quidam De pœnitent. & remiss. habetur confessionem illius, qui à peccato recedere nolit, non esse respiciendam. Tum quod sæpe contingat vt adhortationibus Sacerdotis quæ ab eo (à quâ spirituali scilicet Medico satagente cognitum ægri motum curate) post confessionem fiunt, Pœnitens reddatur ad absolutionem obtinendam dispositus. Tum demum quod experientia doceat, eum qui confessus est sua peccata magis quam ante confessionem, sollicitum esse vt absoluaatur, ne grandis ille labor in præmeditandis & confitendis peccatis ei pereat. Propter quæ rationi in vtramq; partem momentatim de Nauarr. in sequ. nu. 13. merito addit, non videri dicendum, quod confessioni præmittenda sit necessariò interrogatio eorum quæ absolutionem impedire, aut diffisilem reddere possunt neque ex altera parte negandam esse, quin ea licitè præmitti possit. Atq; vltimè præmitti Polancus in Directorio c. 2. art. 1. sub finem ex eo confirmat, quod si cohortatione adhibita, leuè scilicet, consolatio, in spem erigedo. & cū opus fuerit etiam increpando (iuxta c. 1. De pœnitent. dist. 6. §. Quibus cognitis) Pœnitens non inueniatur paratus à peccato recedere, cum eo teratur tempus quod cum alio vtilius expendetur. Quamquæ tam en v Nauarr. addit ibidem, si Confessarius sit Parochus, nõ debet tunc cum audire teneri (vt in Quadragesima) respicere sibi subditum: qui non obstantè comminatione ei facta de ipso non absoluendo, vult confiteri.

Interrogationes præmittendæ ante Confessionis inchoationem.

## SECTIO. I.

Harum quædam faciendæ sunt habito respectu ad iurisdictionem (quam Confessarius ex dictis de ea in præcedent. libro, debet liberam habere in Pœnitentem, vt eum absoluerè possit) nempe si Pœnitens sit homo ignotus, & Confessarius iurisdictionem habeat limitatam; ille interrogandus est, cuius Parochiæ sit; & an habeat diplomata Apostolica, vel suorum Ordinariorum, quibus ei concedatur libera electio Confessarii: Quo respondente, etiam tantum illud; se vñdecumque sit, posse ab ipso absolui à quam subditum, debet Confessarius putare satisfactum sibi esse vt expressit Nauarr. ad eundem §. Diligens num. 11. Præterea (que interrogatio, sicut & sequentes, ei etiam q subditus esse cognoscitur, fieri potest) An sciat se habere aliquam excommunicationem, aut casum reservatum. Atque si ex responsione Confessarius cognoscat excommunicationem habere, sed à qua possit ipsum absoluerè: absoluat antequam à peccatis, eo modo quo Nauarr. explicat in Enchir. cap. 26. num. 7. 8. & 9. Sin autem inueniat habere reservatam, mittat ad eum cui reservata est, aut ad alium cui ad id sufficientem delegauerit iurisdictionem: aut certe talem sibi procurat, vt per se possit suo Pœnitenti satisfacere. Idem Iudicandum est, si inueniatur casum habere reservatum sine excommunicatione. Logiorem autem hæc res explicacionem requirit quidem, sed ad sequentè partem (in qua ex instituto dicendum est de absolutione à casibus reservatis) propriè spectat, vbi Deo iuuante copiosè tradetur. Tantum illud hic monendum est per se loquendo, nõ esse necessariam, istiusmodi interrogationem de casu reservato fieri à Confessario. Nam vel Pœnitens talis est, qui scire censetur an habeat casum reservatum; tuncq; si de aliquo tali casu conscius sibi sit, interrogare debet Confessarium ipsum, an habeat potestatem absoluedi ab eo: quod non faciens præsumi potest nullum talem habere. Vel talis est, qui censetur ignorare casus reservatos: & tunc nihil proderit interrogatio. Quod si omnia cuiusmodi interrogatione aliquis talis casus ex confessionis decursu deprehendatur: ideoq; illà factà Pœnitens absolui non possit, ipse tale incommodum debet sue indiscretioni vel ignorantie imputare, non autem Confessario, qui illud facere præuenire non potuit. Ita notat Suarez tomo 4. in sp. 32. sect. 3. num. 2.

Interrogationes præmittendæ in ordine ad contritionem. §. 1.

Quædam verò aliæ interrogaciones faciendæ sunt habito respectu ad contritionem. Cuius generis est, An ex animo doleat se offendisse Deum & propositum firmum habeat relinquendi statum peccati. Quia in re inuētus deficere, iuuandus est per post dicenda in sequenti cap. 5. & 6. si que nihil cum eo profici possit, dimittendus est sine absolutione, tanquam obicem ei ponens. Huius item generis est interrogatio, An gerat cum aliquo inimicitias, ad quas omnino deponendas monendus est. sic teneri, vt alioqui non debeat expectare suorum peccatorum remissionem, prout Dominus noster nobis inculcatum voluit cum orantes dicere præscripsit [Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris] inducendusque est ad reconciliationem præmittendam confessioni, si commode possit: aut si non possit, ad firmum propositum eam exequendi cum primum nanciscetur commoditatem. Cum dicat Dominus Math. 5. Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus aliquid habet aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare & vade reconciliari fratri tuo.]

Eiusdem item generis est interrogatio, An debitum aliquod habeat, sitq; in mora solutionis; siue pecunia sit restituenda, siue fama reparanda, siue votum implendum. Atq; si tale debitum existere comperiat, debet Confessarius considerare num Pœnitens possit tunc satisfacere: si que nõ possit, sufficit vt habeat propositum firmum satisfaciendi statim, ac facultas illi ad id fuerit. Sin possit, neque urgeat necessitas confessionis, debitum que facile & breui tempore impleri valeat, facere debet Confessarius, vt prius impleatur quam confessioni subicitur; quia obligatio ad illud est, vt fiat quamprimum fieri potest, prout patet per tradita à

Nauarr. in Enchir. cap. 17. num. 54. Et aliquot sequen. de eorum pote-  
 restituendi id quod debetur. Quod si vel necessitas confes-  
 sionis urgeat, vel non possit facile & breui tempore satisfac-  
 ri, Confessarius debet inducere Pœnitentem ad firmum  
 propofitum satisfaciendi, quamprimum poterit commo-  
 de; admonendo eum, si nimium differat, lapsurum in pec-  
 catum mortale, & amissurum gratiam quam per Sacra-  
 mentalem absolutionem consequetur. Quod docēs Nauar.  
 in Enchir. cap. 16. num. 5. excipit eum qui in confessione præte-  
 rita (quod etiam in interrogatione inuestigandum est, si Pœ-  
 nitens nõ aperiat) restitutionem promisit, nec restituit cum  
 potuit & debuit. De quo idem Nauar. in præced. cap. 17. num. 59.  
 post D. Anton. & Caler. statuit non debere absolui, nisi prius  
 actualiter restituat, quia licet habenda sit Pœnitenti fides  
 in iis quæ pro se aut contra se dicit; prouideri tamen debet,  
 ne qui semel defecit, iterum deficiat. Quamquam (addit ille)  
 Pœnitens occurrere possit talis, nempe ad eum dignum cui fi-  
 des adhibeatur, actales circumstantiæ loci & temporis, talis  
 que causæ, vt confessarius solo restituendi propofito con-  
 tentus esse debeat, iudicando prudenter non dari oportuni-  
 tatem aliquid amplius faciendi. Vult autem istud etiã quoad  
 eos procedere, qui prohibentur absolui ante restitutionem  
 realem: vt subrahentes decimas aut impediētes earum  
 solutionem ex Concil. Trident. sess. 25. cap. 12.

21. Eiusdem adhuc generis est interrogatio, quam Polan. po-  
 nit in Directorio cap. 2. art. 1. An sit in aliquo statu peccati mor-  
 talis, quem non sit paratus deserere, nam qui proponit ab  
 aliquo peccato mortali non abstinere in posterum: vt nolens  
 restituere, vel concubinam relinquere, vel odium deponere,  
 vel renouare officio, quod nequit sine peccato mortali  
 exercere, vel aliud eiusmodi, absolueudus non est; etiam si  
 aliquatenus, inefficace voluntate tale quid vellet. De qua  
 re textus habetur expressus in cap. Quod quidam De pœnitent. &  
 remiss. Ratioque aperta est, quia talis confitetur sine contri-  
 tione, includente cum summa deestatione peccati, propo-  
 situm firmum non peccandi de cætero. De se & autem cõ-  
 tritionis, (vt certum est) confessionem reddit inualidam &  
 absolutionem sacrilegam. Quo fit, vt non debeat tali abso-  
 lutione impendi, etiam si illam importunè fatagat extorquere,  
 scandalum aliquod & desperationem præterire. Id quod  
 Nauar. in Enchir. cap. 10. nu. 4. annotans, addit tale scandalum  
 esse pharisaicum; quia illud ipse sibi accipit, ac proinde ne-  
 gligendum, iuxta cap. Inter verba. 11. quest. 3. Neque est quod quis  
 opponat ad scandalum aut aliud graue malum vitandum,  
 posse peccatori occulto ministrari Eucharistiam in publico.  
 Nam ea ministratio non includit (sicut ministratio Sacramen-  
 ti Pœnitentiæ) rationem iudicij, in quo oporteat informari  
 de statu suscepturi, vt vel ipse admitatur tanquam dignus,  
 vel expellatur tanquam indignus. Quamquã autem dicens  
 se peccatum aliquod mortale relinquere non posse, nullatenus  
 absolui debeat, nisi propofito murato in melius: tamen  
 confiteri volens audiri potest, iuxta cit. cap. Quod quidam: nec  
 dimitti debet (iuxta cap. falsas. De pœnitent. distinct. 5. hinc admo-  
 nitione qua indicatur vt quotquot poterit bona opera non  
 omitat facere, peccataque euitare, vt Dens mentem ipsius il-  
 luminare & cor emollire ad agendum pœnitentiam digne-  
 tur. Prout loco citato habet etiam Nauarrus.

22. Notandum autem est ex Syluestro Confessor 3. quest. 10. &  
 Nauarr. in Enchir. cap. 23. num. 21. & cap. 26. num. 3. non debere  
 Confessarium negare absolutionem Pœnitenti tanquam  
 volenti in peccato mortali perseverare, si nequit intelligere  
 veniale ne peccatum sit an mortale illud in quo perseverare  
 statuit, sed debere inducias & tempus ab eo petere, ad con-  
 sulendum suos libros, aut petiores, vt sciat quam in partem  
 debeat sententiam proferre; aut saltem ei periuadere vt fir-  
 miter sibi proponat, quod ab eo de quo agitur, sicut ab aliis  
 mortalibus in posterum abstinere, mortale esse indicetur  
 viris idoneæ scientiæ & conscientia præditis, quorum iudicio  
 sit meritò fidendum: cuiusmodi odij propofitum recusans habe-  
 re (nisi valde dectus esset, ita ut credi posset ipsum in sua per-  
 suasione sufficienti ratione ducti) indicabitur carere contri-  
 tione ad absolutionem Sacramentalem necessariam, cum non  
 appareat auersus omnino à quocunque peccato mortali. Ne  
 autem negatio absolutionis innotescat aliis, debet Confes-  
 sarius ei dicere, quod propter circumstantes, cum elatione ne-

maus dicit super ipsum aliquam orationem sine absolu-  
 tione, vt sic non recedat confusus. Quod est si militer obser-  
 uandum cum eo qui ob aliam causam absolui non potest: i-  
 pso quoque monito per talem confessionem, quam absolutio  
 secura non est, præcepto confitendi satisfactum non esse, iux-  
 ta antè citatum c. Quod quidam: vbi ea dicitur non esse vera pœ-  
 nitentia: qualis nimirum à Deo & ab Ecclesia peccatoribus  
 præcipitur. Istud vtrumque aliis citatis admonet Iacobus à  
 Graphis in lib. 3. decis. aurearum, cap. 24. num. 24.

23. Notandum est secundò ex Medina in Cod. de confessione quest.  
 19. dubio vltimo. si iudicæ & Confessario peccatum mortale cõ-  
 mitti in aliquo facto vel contractu, non acquiescat Pœnitens;  
 & Confessarius tam emine sit, Pœnitens vero d tam simplex,  
 vt meritò putare debeat, se non melius ab aliis, quam ab eo  
 ipso Confessario doceri posse: negandam esse absolutionem  
 parere nolenti, tanquam indigno nec satis aucto à peccato:  
 non item si Pœnitens alios habeat, si non plus, saltem què  
 ac Confessarium, fide dignos, à quibus de contrario infor-  
 matus esset, aut informati si eraret: etiam si (addit Medina ibi-  
 dem in corollario) iam in formantes quam informant decipi,  
 Confessarius ipse putare: immo & certus foret esse de salu-  
 tate opinionis, quam confitens amplectitur.

E nimvero sequenda videtur in eo sententia Nauarrin  
 cit. cap. 26. num. 4. tria dicentis. Primum est: Confessarium si  
 credat euidenti se textu vel ratione nisi, & Pœnitentem du-  
 biam, non debere hunc absolvere. Ratio est, quia cum de ali-  
 quo controvertitur, certitudo vnius partis tollit probabili-  
 tatem alterius: nec enim id ceteri potest probabile, cuius  
 contrarium est certum. Absolutio autem dari non potest ei,  
 quem probabile est dispositum non esse. Secundum est si vi-  
 deat e confessarius se non adeo forti ratione nisi, Pœnitentem  
 vero nisi pari, vel se d pari, habere que aliquem pro se cla-  
 tum doctorem, posse ipsum absolvere. Ratio est, quia pro-  
 babilitas vnius partis controvertitur, secum patitur probabi-  
 litatem alterius, licet que in bona conscientia id se qui quod  
 est probabile: adeo vt sequens non sit eo nomine indispo-  
 situs ad percipiendam absolutionem Sacramentalem. Iam vero d  
 eam disposito negare, graue peccatum est; non modo quia  
 illi sit grauis iniuria, sed etiam quia requiritur ratioque iudicij  
 postulat, vt Iudex audita causa rei, eum absoluat si inue-  
 rit absolutio dignum: præterim in Pœnitentiæ foro, in quo  
 Confessarius tanquam minister Christi debet absolvere  
 eum qui coram Christo apparet absolutione dignus. Tertium  
 est: ista procedere siue Confessarius ex officio audiat  
 confitentem, vt proprius Parochus: siue ex sola charitate, vt  
 alius qui habens solum delegatam iurisdictionem non ob-  
 ligatur audire ex officio. Neque enim inter eos vllam in hac  
 re differētiam esse, hinc patet: quia ex quo delegatus suscipit  
 in se onus aliquem audiendi in confessione, tenetur ei præ-  
 stare quidquid debet: Ordinarius, cuius locum tenet, vi-  
 ceque supplet. Videri potest Suarez tomo 4. dispus. 32. scilicet  
 quinta per totam.

24. Notandum est tertio ex Nauarr. in Enchir. cap. 26. nu. 5. post  
 Angelum Confessor 4. §. 3. & Sylu. in citata quest. 10. si tam Confes-  
 sarius quam Pœnitens dubij sint, num aliquod peccatum sit  
 mortale necne, tunc eligendo partem tutiorem, esse ab eo  
 abstinendum, ac tale tantumque periculum vitandum: si autem  
 sit, An Pœnitens teneatur aliquid facere, vel dare, aut penam  
 aliquam sustinere, benigniorem partem se quando, esse pro  
 reo dandam sententiam, per iura quæ adfert Syluester.

#### Interrogationes faciendæ in ordine ad Confessionem §. 2.

Quædam adhuc interrogationes faciendæ sunt habito  
 respectu ad confessionem; siue eam que proximè faci-  
 endæ est, siue aliam antea factã. Huius generis est interroga-  
 tio illa quæ proponit Polancus in Directorio cap. 2. art. 1. Quis sit  
 confitentis status, quæ cõditio, quod officij: nisi Confes-  
 sarius iã hæc scire. Refert enim intelligere si coniugatus sit, si  
 publico aliquo munere fungatur, quam artem faciat, si sit  
 Religiosus, si Ecclesiasticus sacris ordinibus initiatus, si bene-  
 ficiarius habens Ecclesiasticum, & huiusmodi alia: vt conueni-  
 enter ex propriis eum procedatur in suppleendis per inter-  
 rogationes defectibus, qui in ipsi confessione contingerint.  
 Debent enim tales interrogationes connexiones esse statui,



officio, & conditioni Pœnitentis: nempe de illis peccatis, quæ in coplo statu, officio & conditione committi consueverunt: inpreque interrogantur milites de peccatis Clericorum, vtrum recitarint horas canonicas: vel contra Clerici de peccatis militum, vtrum rusticos vexauerint, & sic de cæteris peccatis diuersorum statuum: que Nauarr. in Enchir. cap. 25. per totum latè persequitur. Aduerte obiter quod idem docet ad principium cap. Consideret De pœnit. dist. 5. num. 97. quia non tenetur Pœnitens manifestare seipsum nisi quoad ea, quæ sunt necessaria ad Pœnitentiæ Sacramentum; neq; teneri declarare an sit coniugatus, si atrimonium non offendit; neque an sit Religiosus, si vota religionis non violat, & sic de reliquis.

Eiusdem generis interrogatio est, Quampridem confessus sit: si que plus anno inuenitur confessionem omisisse: debet Confessarius ipsum monere, vt se accuset de transgressione præcepti ad illam faciendam obligantis: & alterius, Eucharistiam sumendi circa Pascha. Si verò minus anno quidem, sed à multis mensibus, debet sollicitior esse in examinando, quam si à paucis tantum hebdomadis.

26. Est item eiusdem generis interrogatio, An sibi sit conscius de aliquo defectu commisso in aliqua sua præcedenti confessione, ex quo existimet falsè nullam; cui sine farenti, siue neganti credendum est, tanquam testi in iudicio instituto ad ipsius salutem.

27. Est & illa alia, An peregerit pœnitentiã impositam sibi in præcedenti confessione; si que eam per contemptum, aut negligentiam noabilem omiserit implere, de eo accurate; cum id sit peccatum mortale, nisi imposita tantum esset consulendo eam, non autem præcipiendo, ex Nauarr. ad cap. Contrarium De pœnit. dist. 5. nu. 18. Videat quoque Confessarius, an talem pœnitentiã relaxare aut mutare conueniat, iuxta ea quæ dicenda sunt in sequenti parte, cum de satisfactiõne quoad illius implentem.

Est denique eiusdem generis adhuc illa, An conscientia suæ satis fecerit, ea quæ memoriã occurrerunt peccata dicendo in præteritis confessionibus, ita vt Confessarius probe omnia intellexerit. Atque si aliquid tacuisse deprehendatur, vnde ex defectu integritatis, confessio ipsa sit inualida, monendus est teneri ad eandem iterandam, & alias quascuque ante factas, in quibus similiter defecerit: horteturque vt pareat se & tunc tempus ad omnia confitenda; vel si mors aut phrenesis immineret, vel appareret non facturum si inde recederet: hortetur ipsum vt tunc dicat omnia quantum recordari poterit, neque putet aliquid tacere, si sibi licere ex eo, quod iam illud in prædictis confessionibus declarauerit, cum omnes fuerint inuites, ita Polancus in Direct. cap. 2. art. 1. Cui adde quod habet Henr. q. alias in margine citatis in Summa sua lib. 5. cap. 14. §. 5. si Confessarius non audiuit, vel non intellexit integram Pœnitentis confessionem, quia erat valde ignorans, vel idiomaticus ignarus; aut quia distractione, dormitione vel furditate impeditus, non percepit quæ dicebantur: Pœnitentem (nisi id aduertendo peccans, obicem poneret) absolutum ab ipso habeat e sufficiens iurisdictionem, percipere fructum sacramenti: neque teneri repetere, nisi ea peccata que putat Confessarium ipsum non audiuisse. Item que eum qui bona fide confitetur ignoranti: quem postea nouit nesciuisse distinguere inter mortalia, & venialia, & inter seruata & non seruata: non videri cogendum iterare confessionem: posito quod talis Confessarius potuerit tunc & voluerit absolueri sibi oblatam bene dispositam etiam si in prudentia circa medicinam & satisfactiõnem imponendam defecerit. Quamquam tamen esset confessionem repetere oblata commoditate propter periculum inualiditatis, quod raro deest in tali casu.

Interrogationes præmittende in ordine ad cauendos & supplendos defectus Pœnitentis. §. 3.

**A**Dde quo que confessarium, quantum dicit per Pœnitentis valetudinẽ, debere defectus illius per interrogaciones supplere, quando videbitur aliquod omittente ad confessionis integritatem necessarium; sicut & eum sine sufficienti examine offerre ad confessionem.

28. De quo examine Polancus in eodem art. 1. interrogatiõne hanc præcedentibus adiungendam censet, An conscientia

inam disculerit ad præsentem confessionem instituentam: quia si dicat se non disculisse, & verosimile sit, quod post redibit paratior, dimittendus est, vt se disculiat, præfixo ad id tempore sufficienti, iuxta rationem status personæ, & longioris moræ positæ in omittenda confessione, nisi mors vel phrenesis immineret, aut nequeat sine scandalo communitio differri, aut alia grauis necessitas urgeat, ex Nauarr. ad c. 1. De Pœnit. dist. 6. §. Diligens nu. 15. Quo tempore, vt idem monet, Adrianum secutus, sufficere (intellige quoad Pœnitentem, non quoad Confessarium: ne putes excludi interrogaciones proximè dictas) pœnitentiã omisisse prædiscussione, cum ea quæ illi possibilis fuerit peccatorum recordatione: id est, sufficere confessio negligentia in examinanda conscientia, & omnium aliorum peccatorum, quorum tunc poterit recordari. Quod si verosimile non sit, quod rediturus sit ad confessionem (oportet enim Confessores cauere ne Pœnitentem coniciant in desperationem; vt in hac re omnes cõsulere notat à Victoria De Sacram. nu. 193.) vel si dicat se quidem aliquo modo, sed satis obiter disculisse conscientiam suam, monendus est (inquit ibidem Polancus) vt in posterum diligentius se præparet, & vt quod recordatur sincere dicat, cum omni qua potest humilitate & displicentiã peccatorum: eodemque modo respondeat ad interrogaciones, quas ipse facturus est, ad supplendũ ipsius defectu in examinanda conscientia. Immo cum humanitus vix fieri possit, vt qui longo iam tempore nõ est confessus, & solitus est frequenter peccare; siue ex praua consuetudine, siue ratione officiorum & negotiorum quæ gerit, etiam si iuuetur Confessarij interrogacionibus: vix, inquam, fieri possit, vt satis integrè sua peccata confiteatur: si nihil præmeditatus ad confessionem veniat, dimittendus est, vt ante præcigitur quæ confiteatur; tanquam nescientiã culpabili nesciens reddere integram rationem de suis peccatis; sicut debet iuxta institutionem Christi ad eorum remissionem, per hoc Sacramentum consequendã. Neq; enim qui talis inuenitur (vt potè indispõsitus) est absoluedus, nisi necessitas faciens impossibilem præcogitationem; alid sua deat, vt bene monet Nauarr. in præced. num. 14. quia tunc adest sufficiens causa excusans confessionis dimidiationem in eo qui nihil recitaret, sed omnia quantum potest, dicere intendit: vnde ob eum defectum, non est dimittendus: aquam indispõsitus ad absolutionem recipiendã. Quod si quem expediat parare se ad totius vitæ confessionem, propter præcedentes suspensas de invaliditate, poterit ad id dirigi, cum monendo primò vt per tempora ætatis, pueritiæ, adolescentiæ &c. se examine. Secundò vt per varia sua officia & occupationes. Tertiò secundum varias suas dispositiones sanitatis vel ægritudinis, prosperitatis vel aduersitatis. Quarto secundum loca, id est, regiones, ciuitates & domos, in quibus versatus est. Quinto secundum personas cum quib. conuersatus est; examinando quid cum illis tractauerit. Ac demum peccata tam cordis, quam oris, & operis, quæ se commisisse deprehendit, reducat in ordinem Decalogi; subiiciens singulis speciebus probabilem numerum dicendo verbi gratia: Quinquies circiter habui turpes cogitaciones cum delectatione, & sic de cæteris.

29. Nonnunquam etiam qualitas Pœnitentis ostendens se rerum diuinarum valde rudem, exigit interrogaciones adhuc præmitti, An sciat articulos fidei, & præcepta Decalogi, Atque Ecclésiæ. Item num intelligat quid sibi velit confessio ad quam faciendam accedit; & cum qua dispositione accedere debeat. Nam talia ignorans de eis instruendus est, iuxta cap. Deus qui. De Pœnit. & remiss. Quod etiam ratio ostendit; quia peccator, vt Dei filius, & regni cœlestis hæres reddatur (quò Sacramentum Pœnitentiæ spectat) debet in Christum credere iuxta illud Ioan. 1. Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Debet etiam obseruationem mandatorum Dei sibi omnino proponere iuxta illud Matthæ 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. At nescies articulos fidei nequit in Christum credere: dicente Apostolo ad Rom. 10. Quomodo credent ei, quem non audierunt? Nec quisquam potest sibi proponere obseruationem mandatorum, quorum non habet notitiã, ac multo minus executioni ea mandare. Artamen non est omnino necessarium, vt Pœnitens prædicta sciat ordinatè, sed sufficere potest vt interrogatus valeat de singulis respondere. Et si Apostolorum

Symbolum & orationem Dominicam non tenere, saltem lingua vulgari, graue peccatum sit veniale) quod etiam notat Iacobus à Grahphis in libro 1. de iis. aurearum cap. 24. nu. 27.) propter cap. Vos ante omnia, de confes. dist. 4. cuius expressum præscriptum eà ignorantia infringitur.

Iam accommodare se ad captum rudium in eorum instructione, difficile quidem non est, quoad ea quæ continentur in præceptis Decalogi & Ecclesiæ mandatis: quoad materiã verò articuloꝝ fidei, difficultatis habet plurimum: cuius minudæ rationem Galpar Loates in fine suæ instructionis Confessoriorum duplicem dat. Prior est, vt eiusmodi articuli in charta depicti represententur, vt sic imagines conspexerint illis scripturæ aut literarum loco. Ex qua docendi ratione voluptatem capientes pertrahentur ad discendum, inuabunturque ad ea memoriæ commendanda cum maiori facilitate, quã si verbis tantum inculcarentur. Adde quod inde instigabuntur ad pietatem, cõsiderando cum facilitate & voluntate depicta religionis nostræ mysteria. De modo autem quæ ille tradit tales imagines pingendi & illis vtendi, nihil dicemus: quia res est quæ pendet ex industria vniuscuiusque. Posterior ratio est: si Confessarius iubeat, vt qui sic rudis esse inuenitur, omnibus anni festis, à Parocho aut ab alio, à quo instrui possit, scilicet, inter quæ sit eius diei festiuitas: quo fiet, vt Articuloꝝ, de quibus toto anno institutæ sunt feriæ, nõ tantum reddatur memores; sed etiam necessariam cognitionem assequantur. Documentum notandũ pro praxi, addit ille inquis. Cum Confessarius aduerteret rudes illos, & ignaros bonum habere propositum & promptam ostendere voluntatem addiscendi (sive prædicto, sive alio aliquo modo) articuloꝝ fidei; iamque eorum aliquã noticiam habere, etsi crassiore, poterit eos absolueri; prius accepta ab ipsis sponsione, quod bonum illud propositum quod habent, opere complebunt. In quo si negligentes fuisse inueniatur, nec vllam propensionem ostendant exequendi commendata sibi ad emergendum ex tanta caligine & incertitudine, non erunt absoluedi: tanquam ij qui occulto quodam virtualique contemptu, negligentid, quod sibi ad salutem necessarium est, nolendo intendere animum ad id, sine quo sunt ad absolutionem ipsam obtinendam inepti.

Cauendum autem est ne quisquam talium antè absoluetur quam mysteria saltem Trinitatis & Incarnationis doceatur quantum sufficit ad credendum verum Deum, vnum in natura diuinam infinitæ excellentiæ, & Trinum in personis, indicatis per nomina Patris & Filij & Spiritus sancti, quæ ipse vsurpat muniendo se signo sanctæ Crucis. Item Iesum Christum Dei Patris Filium, qui propter nostram salutem factus est homo in utero Beatiſsimæ Virginis, per operationem Spiritus sancti: ita vt simul sit verus Deus, & verus homo. Nam sine tali fide, non potest quis constitui in via salutis: dicente eodem Domino nostro Ioan. 17. Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum verum Deum & quem misisti Iesum Christum. Cæterum ratio qua familiariter de articuloꝝ fidei instrui possunt rudes, tradetur in sequenti cap. 13. se & priorè.

Interrogationes à Confessario interserenda confessioni Penitentis.

## SECTIO II.

31.

**P**Ræmissis quæ propositæ sunt interrogationibus, quantam opus esse iudicauerit, debet Confessarius dicere Penitenti, vt iam tãdem quæ secum recogitauit, prout memoria suggerit, verbis suis exprimat: nihil reticendo memoria, cum sit coram Deo, in cuius præsentia peccauit, & quæ fugere non potest: sicut nec Adamus potuit post perpetratũ peccatum abscondens se in medio ligni Paradisi. Neque audiente Sacerdote dicere vereatur: quia nulla ratione, nisi ipsemet in suum commodum liberè id velit, ille potest audita reuelare; cumque ex duobus malis minus sit eligendum, peccatum suum vni Sacerdoti detegat potius, quam ipsum palam fiat Angelis & hominibus in die iudicij iuxta illud Nabum tertio: Reuelabo pudèda tua in facie tua & ostendam gentibus nuditatem tuã, & regnis ignominia tuam. Cuius rei figurã gestit illud quod 2. Reg. 12. Per Nathã dicitur Dauidi: peccatũ suũ occultasti. Tu fecisti absconditè, ego aut faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu Solis.]

Quod si ille vt melius confiteatur malit interrogari quã solus referre sua peccata, non est ea de causa condemnandus, sed potius iuuandus, vt admonet Nauari in Enchir. c. 10. num. 6. modò tamen habeat propositum referendi omnia mortalia quibus se grauari putat; quantumcumque non attingantur interrogatio: alioqui enim si statueret tacere aliquod mortale si de eo non interrogaretur, peccaret mortaliter eodem auctore ibidem: tanquam is scilicet, qui vellet facere confessionem mutilam: nihilominus excitandus est ac instigandus vt ore proprio quæ meminit confiteatur, etiam si nequeat facere nisi inordinate & imperfe. sic enim ex illius relatione discet Confessarius, quas partes debeat in interrogando attingere. Reuenire autem illo ac dicente se nihil scire quod proferat (cum si diligentiam aliquam in examinanda conscientia posuerit, vix fieri possit, quin memoria teneat peccata aliqua de quibus se accurate valesat) dimittendus est tanquam is qui nullam diligentiam posuit: monendo vt se præparet iuxta superius num. 28. dicta, de eo qui inuenitur non discussisse conscientiam. Quamdiu autem quis dicit quæ meminit, & eo ordine quo meminit, audiendus est attentè nec interrompendus, nisi vt dirigatur. Et postquam dixit quod per se dicere potuit, si non videatur dixisse omnia: quæ dicta esse oportuit, interrogandus est; prius tamen animatus, & diuinæ misericordiæ proposita spe inuitatus, vt verè integrè, & liberè respondeat ad interrogata; nec quidquam per verecundiam taceat (quod in pueris præteritum & mulieribus periculosum est) sed nec dicat amplius quam sciat: immo certa pro certis, & dubia pro dubis, prout ipse meminere dicat. Ita Polan. in Direct. cap. 2. art. 2.

Quantum prudentiæ Confessarij relictum est, vt dum aliquid interrogandum occurrit, statim interroget, antequam Penitens ad alia pergat, ne id memoriã excidat, & admittatur cum periculo deficiendi in necessariis ad confessionem: vel ne à Penitente molestè exigere oporteat, vt quod iam dixit iterum dicat: vel si Penitentis interruptio timeretur ex nimis frequenti ipsius interruptione, postquã dixit quæ ad vnum aliquod præceptum, vel genus peccati pertinent; de his quæ circa illud omisa sunt, interrogetur antequam ad alia progrediat.

De quibus interrogationes fieri oportet. §. 1.

**E**Averò quæ Penitens per ignorantiam, aut verecundiam, aut negligentiam tacet, debet Confessarius diligenter prudenterque interrogatò elicere (prout præscribitur in §. Diligens De Penitent. dist. 6. cap. 1.) sunt illa quæ de necessitate exprimenda esse in Sacramentali confessione, docebitur in sequenti parte, cum de eadem ex instituto tractabitur.

Primum autem est quodcumque mortale peccatum, etiam merè interitum. Vnde quia contingere potest, vt actus externus, qui de se tantum est veniale peccatum, ab agente puretur mortale: aut vt is proveniat ex affectu, vel intentione mortali: Penitens (nisi aliqua rationabili de causa iudicetur nõ esse necessarium) de aliquo tali confitens (vt de furto rei leuiss) interrogandus est num (verbi gratia) rem magni pretij furati putatis; id enim putans mortaliter peccasset, vt pote illud agendo quod mortale esse conscientia ei dictabat. Item qui confitetur se læsisse alterum, sed leuiter: interrogandus est, num habuerit animum grauius lædendi: aut læserit audens illius odio, vel motus alio affectu mortali, vel intentione finis mortaliter mali: quia id esse peccatum mortale. Secundum est circumstantia quæcumque mortaliter aggrauans peccatum mutando ipsius speciem. Sic dum Penitens confitetur de se vulnerasse hominem, interrogandus est, num is esset Clericus quia ob circumstantiã personæ, incurret in excommunicatione Papæ seruata. Item num in loco sacro, quia talis circumstantia constituit sacrilegium, in ea materia mortale. Præterea nõ vulnerando habere animum occidendi quia commisset homicidiũ mentale. Sic etiam confitens se abufum aliqua muliere, interrogandus est, num esset consanguinea ipsius, num maritata, & sic de cæteris quæ distictam peccati speciem faciunt, suo loco explicandis in tertia parte. Tertium est, species peccati: Ita confitens se malum desideriu habuisse, interrogandus est, cuiusmodi fuerit illud desiderium, & sic quotiescũq, ex confessione nõ intelligitur pecca-

pecca-

peccatum in sua specie, quantum intelligi debet iuxta dicenda in sequenti secunda parte cum de ipsa confessione agatur. Quartum est, peccatorum numerus cuius confitendi rationem ibidem quoque exponemus.

De modo quo interrogationes fieri oportet. §. 2.

34. Circa interrogationes autem de his faciendas, notandum est primum, in multis peccatis, maxime in carnalibus, examinandum esse Penitentem. An illorum occasio maieat: erbi gratia, habeatne domum cum qua peccauit: aut aliter utatur aliquorum societate, quæ sit et causa ruinae: quia tales & aliæ si quæ sint mortaliter peccandi occasiones, tollendæ sunt.

Notandum est secundò ex Nauarr. ad ante memoratum §. Diligens num. 2. & in Enchir. cap. 5. num. 3. & 4. non esse formandas interrogationes de iis quæ ad peccata confitenda non pertinent; nec de omnibus peccatis, sed tantum de iis, quæ homines illius qualitatis, cuius est is qui confitetur, committere solent: itemque de confictis, & quæ communiter nota sunt; ut censentur vitatores transgressiones præceptorum. Decalogi & Ecclesiæ. Item septem criminum capitalia, ac omissiones circa opera misericordie, & circa custodiam sensuum, aliaque eiusmodi. Itaque de occultioribus, & inconfictis peccatis, quæ perditissimi homines inueniunt (cuiusmodi sunt, multa inistorum contractuum species) tacendum est, nisi forte de illis occasione interrogandi Penitens dederit: quo casu adhuc ita cautè & dissimulante procedendum est, talibusque circumlocutionibus utendum, ut si Penitens imple illa commiserit proferat: sin minus, illa non addicat.

Notandum est tertio (quod Nauarr. in Enchir. cap. 5. num. 2. se experientia didicisse significat) interrogationes necessarias esse potissimum ad intelligendum peccatorum numerum, & speciem; eo quod multi existunt se sufficienter confitendi de numero, si dicant, multoties in hoc vel illo deliqui: quos falli certum est, cum peccata numero tantum distincta, non minus multa sint, quam quæ distinguuntur specie: totaque peccatorum commissorum multitudo in confessione appetenda sit Confessario ex Concilio Trident. sess. 14. cap. 5. quod constat non fieri illo modo sufficienter. Quare de re plenius proprio loco tractabitur in sequenti parte cum de confessione.

Præterea multi adeo generaliter confitentur, ut nequeat distinctè intelligi de qua peccati specie confiteantur, an id sit aliquod mortale, an tantum veniale. Atque modus interrogandi numerum non est alius quam ut dicente Penitente, Multoties in hoc peccavi; quærat ab eo, quoties, quia tenetur verum numerum dicere si illum sciat, aut verosimile quantum recordari potest. Si quæ non satis recordetur, iunãdus est secundum ea, quæ item in 2. parte, cum de confessione, tradentur de modo explicandi in ea peccatorum commissorum numerum. In interroganda verò specie, saltem peccati carnis, dare debet operam Confessarius (quod ad citatum §. Diligens num. 4. tangit) ut verbis honestis utatur, & à longè sumat interrogationis initium; ac communioribus gradatim ad particularia, descendendo: ita tamen ut Penitente illa in seipso non agnoscente, ad hæc non procedatur interrogando: ut si quis interrogatus de contactu inhonesto, respondeat negando; non debet de hac vel illa specie contactus interrogari: similiter ut habita peccati specie in carnalibus, nõ descendatur nimium ad singulas quasque circumstantias minutatim interrogandas, ne Confessarius ipse seipsum, aut Penitentem alliciat ad aliquam delectationem: quã qui sectatur talibus interrogationibus idem auctor ex Angelo, non Confessarium sed confessionis contaminator esse, mortaliterque peccate admonet; tanquam nimirum sacramento valde iniuriosus, & sibi vel proximo noxius. Quando igitur de pollutione voluntaria, vel de fornicatione interrogat Confessarius, prout admonet Nauarr. tum ad principium cap. Consideret, de Penitent. disp. 5. au. 83. tum in Enchir. cap. 5. num. 4. nihil de modis quibus tam foeda turpitudine misero contigit, imple interrogandus est; sed sufficiat dicere quoties id contigerit, dummodo explicet quidquid necessarium est ad agnoscedam peccati sui speciem. Immo verò volens longè, nimisq; distinctè declarare modos, quibus foeda turpitudine cõsistit, prohibendus est, ac docendus non esse necessariũ

neq; vult talia dicere, quæ non variat peccati speciem: quam iusti sit expressisse, neque eã cognitã opus est ad alia percipienda descendere, quæ illam non variant.

Specialis modus interrogandi de peccato carnis. §. 3.

35. Porro quia homines communiter inveniuntur magis inuoluti in peccato carnis, quã in alio: periculo sissimũque est tam Confessario, quam Penitenti, multũ in illius interrogatione morari, consultum videtur, hinc ex Angelo in verbo interrogatio num. 9. at exere modum interrogandi; quo possint de peccato carnis expedite pertransiri: ea, quæ in confessione exprimenda sunt tanquam species distinctæ, & ex ore Penitentis elici, quæ forte ex verecundia taceret. Qui modus est, ut dum Confessarius per præcepta Decalogi discurrrens interrogando venit ad sextum Non merchaberis: primum petat à Penitente, num opere aut voluntate peccatum aliquod inhonestatis luxuriae commiserit: si que negget, & videatur Confessario rem aliter habere posse spectata conditione & statu personæ: petat deinde num delectatus sit cogitatione aliqua rerum carnalium: quo faciente se delectatum esse voluntariè, docendus est ea in re commississe peccatum mortale, contra decimum præceptum: quod præceptum et declarandum est, si necessitas exigat, simulque interrogandus est, quoties tale quid ei contigerit. Quod si numerum inire non valeat, ut sæpe fit in talibus, propter frequentiam: interrogandus est; quanto tempore fuit obnoxius talibus cogitationibus, quamq; sæpe eas habuerit in die vel in hebdomada: an etiam maiorem forte temporis partem in eis posuerit. Quod idem seruandum est in peccatis omnibus, quæ sæpissimè committuntur, ut idem auctor addit. Petat 3. num delectatus sit audire loqui de huiusmodi rebus; num aspexerit aliquid vnde turpiter delectatus sit: aut num tergerit se vel aliam personã propter huiusmodi delectationem: quo faciente, interrogandus est, quoties id ei contigerit. Petat 4. num Propterea pollutionem aliquam habuerit per se aut cum alia persona: si que per se habitam dicat, non est interrogandus de modo, sed rãtum de numero, sicut cum cogitatione confitetur: sin habitam cum aliqua persona cõfiteatur, interrogandus est, num ea esset cõiugata, num aliqua affinitate vel consanguinitate sibi coniuncta, num religiosa, aut sacris ordinibus iniuncta. Ex his enim intelligetur num tale peccatum fuerit fornicatio; an adulterium, an incestus, an sacrilegium. Circa quod adhuc petendum est: num in eo præter ordinem naturæ admiserit, non seruata viri & feminae commixtione, quam natura ad generationem instituit: quo faciente interrogandus est quoties facinus perpetraverit; non item quo in loco corporis. Quod monet Angelus seruandum quoque esse cum de crimine nefando confitetur, de quo D. Paulus ad Rom. 1. aut cum de bestialitate.

Addit idem Auctor, quando voluntaria delectatio de turpitudine carnali fuerit cum affectu turpis operis perpetrandi, inuestigandam quoque esse interrogationibus peccati speciem, perinde ac si perpetratum esset ipsum opus, eũ quo in insubstantia talis affectus communicat: iuxta illud Osee 9. facti sunt abominabiles sicut ea quæ dilexerunt. Itaque erit querendum num persona cum qua desiderauit peccare, fuerit soluta, an matrimonio copulata, num affinis, &c.

Quod si variis turpibus desideriis astuauerit, interrogandus est, ex eodem etiam auctore, num sæpius variauerit mentem de vna persona in aliam, secundum quod occurrant memorie: & an magis steterit in desiderio perpetrati criminis cum vna persona, quam cum alia.

Interrogationes subiicienda confessioni factæ à Penitente.

### SECTIO III.

36. Post confessionem si quid memoriã excidisse, aut ignorantia aliqua omisum esse putet Confessarius, debet de eo Penitentem interrogare in particulari. Ad supplendum verò defectum integritatis, qui in confessione facile potest ex negligentia discententi conscientiam, vel ex ignorantia eorum quæ illam vitare possunt, usurpandæ sunt variæ interrogationes, quas ad tria capita reducere licet: ut quædam fiant in genere: quædam verò in particulari quidem; sed de iis quæ communia sunt omnibus Christianis: & quædam demum de iis quæ sunt diuersorum statuum propria. Pri-

mi modi sunt, an aliquid de se bonum, fecerit malo fine, qui si mortalis fuerit, debet de tal facto confiteri, tanquam de mortali: vt si concionem adit, gratia sollicitandæ n. u. u. ad turpitudinem, peccauit mortaliter, etiam si non sollicitauerit, & sic de similibus. Deinde an mala aliqua committere voluerit, aut committi periculo, pbabili se exposuerit, etiam si voluntatem executioni non mandauerit, quia mala voluntates nõ excusantur à peccato ex eo quod opus non sequatur exterius. Præterea an alios induxerit ad secum peccandum, quia talis inductio est nouum peccatum. Item: An participauit peccatis alienis: quia sic ipse pariter peccauit, etiam mortaliter iuxta Apostolum ad Rom. cap. 1. in fine. Vbi aduerte obiter plures modos esse talis participationis, indicatos his verbis.

*Consulo, precipio, consensio, prouoco, laudo,  
Non teteo culpam, non punio, non reprehendo.  
Participo, protegoque, meum in caput ista redundant.*

Quorum sensus est: cum peccare participatione peccati alieni. 1. Qui dederit malum consilium, vel author fuerit alicui, vt malum committeret. 2. Qui præcepit vel roegerit alicuiquem committere aliquod malum. 3. Qui consenserit peccatis aliorum ea que probatur. 4. Qui prouocauerit alios ad peccandum. 5. Qui adulando his qui male agunt, vel laudando opera ipsa mala, author fuerit aliis peccandi. 6. Qui cum posset & deberet, non manifestauit aliorum peccata nisi quorum officium erat illa corrigere. 7. Qui non impediuit peccatum, puniendo vel remouendo occasiones prout debebat. 8. Non reprehendendo vel non monendo peccantes, cum deberet & posset facere. 9. Qui socius aut quocumque alio modo particeps fuit criminis. 10. Qui protegit male agentes, excipiendo eos hospitio, fouendo, aut defendendo.

Adhuc potest ex Plano in Directorio cap. 2. art. 2. sub finem addi interrogatio; An ipse præueniat tentationes, eis aditum præbendo, an vero eis resistendo, & num excludat bonas inspirationes, an vero eis obediat. Quibus cognitis poterit Pœnitens melius à Confessario dirigi ac iurari. Adde ad extremum. An aliquid aliud habeat quod grauet ipsius conscientiam: si que nihil habeat moneatur totam confessionem claudere per illam clausulam generalem. *De omnibus vitiis & peccatis meis, dico meam culpam, mea culpa, vsque ad finem generalis confessionis: Quod si iusta videatur adesse causa descendendi ad particulares interrogationes, non erunt omittendæ quoad peccata in quæ homines communius labi cognoscuntur. Eadem proinde subiciemus modo ad recordationem satis accommodato. Erunt enim vt seruato ordine præceptorum Decalogice tradamus, vt eas quæ circa vnum quodque eorum fieri possunt præmittamus faciendas de peccatis commissis cogitatione: deinde subiungamus de commissis verbo, tertio addamus de commissis opere, ac postremo de commissis omissione. Reliquas vero subiciamus de peculiaribus ac propriis diuersorum statuum, ordine eo, quem hi postulare videntur.*

*Interrogationes speciales faciendæ circa præcepta Decalogi quoad peccata magis ordinaria.*

#### SECTIO IV.

*Circa primum præceptum Decalogi.*

37. **D**E commissis igitur circa primum Decalogi præceptum interrogationes istæ fieri possunt. Quoad cogitationem. An in fide firmus fuerit, vel de rebus fidei dubitauerit. An de Deo ac rebus diuinis aliquam opinionem non bonam habuerit. An desperarit de sua salute, ac vitæ emendatione, peccatorumque remissione obtinenda à Deo: aut ex aduerso, an talia propriis viribus & sine pœnitentia se obtinere posse præsumpserit. An pœnitentiam vitæ que emendationem differat vsque ad senectutem, aut mortis horam. An sic afficiatur ad res huius mundi, vt ideo omittat seruire Deo. An ob aliquod mundanum commodum aut incommodum delibet Deum offendere. An Deum amauerit super omnia, amicitiam ipsius præferendo rebus omnibus. An pure pro ipsius amore, non autem ob aliquod mundanum commodum ei seruerit. An Deum resine diuinas fastidierit.

Quoad verba vero. An fidem negauerit, siue ex toto, siue ex parte. An audacius de rebus fidei disputauerit. An prouulerit, aut docuerit aliquam hæresim: An diuinis officiis a-

liqua prophana, aut indigna, aut deuotionis impeditura admiscuerit. An Dæmonem inuocauerit suis tacite: vt fit per superstitiones quasdam orationes. An Deum, aut Sanctos ipsius blasphemauerit. An de Deo questus sit aliqua impatientia.

Quoad opera autem: An aliquas Iudæorum, Machometanorum, Hæreticorum, aut Paganorum ceremonias vsurpauerit. An aliquos libros prohibitos apud se teneat vel legerit. An vsus sit incantationibus, sortilegijs, augurijs, superstitionibus, diuinationibus, per astra, aut somnia, aut animalium strepitum, aut lineas apparentes in manu, quid sibi, si te alteri euenturum esset prædicendo, aut ab alijs qui tale quid profiterentur consilium petendo. An se vel aliquem suorum, aut aliquod suum animal curati fecerit verbis, aut rebus, superstitionis. An uulerit aliquos characteres, seu figuras reprobas. An Deum tentauerit exigendo ab eo miracula absque necessitate.

Quoad omissionem. An timens id quod ab alijs dicitur, vel fiet, omiserit confiteri fidem, ieiunare, aliudve bonum opus facere ad quod obligabatur. An nesciat ad salutem necessaria, vt mysteria sacrosanctæ Trinitatis & Incarnationis Domini nostri Iesu Christi: Symbolum Apostolorum intelligendo illud. Orationem Dominicam. Præcepta, quæ dicuntur Dei & Ecclesiæ: & à Christo instituta Sacramenta. An suis Superioribus tanquam Dei locum tenentibus obedire neglexerit. An proximum peccantem fraternè corrigere omiserit.

*Circa secundum præceptum.*

**Q**uoad cogitationem. An sibi proposuerit iurare aut testari fallum, aut mentiri in præiudicium proximi.

Quoad verba. An cum iuramento aliquid affirmauerit, aut negauerit contra veritatem. An sollicitauerit aliquem ad iurandum fallum. An minatus sit cum iuramento, non habens intentionem implendi quod minabatur. An cum iuramento promiserit aliquid de se malum. An celauerit veritatem, quam iuramento legitime ad tactus, dicere tenebatur. An habeat consuetudinem iurandi. An vouerit aliquid illicitum, quidem, sed malo fine.

Quoad opera. An contrauerit iuramento sui officij. An violauerit votum à se emissum.

Quoad omissionem. An omiserit implere quod beniuerauit, aut licite vouit.

*Circa tertium præceptum.*

**Q**uoad cogitationes. An habuerit propositum, diem festum violandi faciendo vel mandando fieri opera prohibita ab Ecclesiâ, aut non audiendi Missam. Aut non ieiunandi, aut non confitendi vel non sumendi sacrosanctam Eucharistiam eo tempore quo præcipitur ab Ecclesiâ: aut decimas non soluendi Ecclesiæ.

Quoad verba. An tempore notabilis partis Missæ fabulatus sit, aut orando mentem occupauerit in cogitationibus alienis à deuotione. An sacramentali confessionem fecerit integrè, & cum debita præparatione.

Quoad opera. An in die festo per notabile spatium (vt duarum horarum) operatus sit, aut operantibus confesserit: siue mandando, siue approbando. An audiendo Missam diebus festis irreuerenter inde enterque se habuerit. An curarit sibi subiectos eidem interesse: aut contra, eos ne interessent, impediuerit. An aliquod Sacramentum susceperit in statu peccati mortalis, aut excommunicatus: aut si Sacerdos sit. An tali statu vel suspensus, aut irregularis, aut aliter prohibitus administrarit, aliudve munus ab Ecclesiâ sibi prohibitum exequi præsumpserit. An in Ecclesiâ aut in Comitibus fugium aliquod quo prophanearetur vel libertas ipsius læderetur, commiserit. An res aliquas sacras tractarit sine reuerentia. An violentia aliqua vsus sit circa personas Ecclesiasticas: siue eas verberando, siue tributis & exactioibus vexando. An sine permissione vsus sit cibis uetitis.

Quoad omissionem. An omiserit audire missam in die festo, & semel in anno confiteri & sacrosanctam Eucharistiam sumere in Pascha cum debita præparatione. An omiserit seruare ieiunium Ecclesiasticum postquam 21. annum excessit. An aliquod peccatum mortale celare confitendo Sacramentaliter. An omiserit Ecclesiæ soluere Decimas. An ne-

glexerit siue filios, siue alios de sua familia, iustitiam de ijs que ad Christianam doctrinam spectant: & bonis moribus eos imbuere & curare ut sacramenta suo tempore suscipiant.

*Circa quartum preceptum.*

**Q**uoad cogitationem. An aliquod malum optarit patri vel matri, aut suis Superioribus. An statuerit eis non obedire, nec honorem & obsequium debitum deferre. Aut ex aduerso. An ita inordinate ad eos afficiatur, ut non vereretur ipsorum gratia Deum offendere. An temere de eis iudicet.

**Q**uoad verba. An oblocutus sit parentibus, Prælati, Principibus, magistratibus alijsque Superioribus, de ijs que sit que sit iniuste.

**Q**uoad opera. An iisdem personis cum impatiencia iratus fuerit, eis que molestiam exhibuerit. An eas minoris fecerit quam debuerit, aut puduerit talis patris filium esse. An male rexit familiam suam, malumque exemplum suis dedit. An subuenit parentum & amicorum necessitati cum potuit, illos que in suis afflictionibus consolatus sit. An vxori & liberis necessaria suppeditarit. An ingratus fuerit suis benefactoribus, & molestus suis proximis extiterit.

**Q**uoad omissionem. An omiserit vnicuique honorem deferre, secundum suum gradum. An omiserit implere ea ad que per testamentum parentum defunctorum tenetur, qualia sunt procuratio celebrationis missarum, & aliorum suffragiorum Ecclesiasticorum, largitio aliqua Eleemosinarum: solutio aliquorum debitorum, vel aliquorum piõrum legatorum.

*Circa quintum preceptum.*

**Q**uoad cogitationes. An suam aut proximi mortem vel notabile malum, siue animi siue corporis alicui optarit. An oderit aliquem, de eo que vindictam sumere cupierit. An doleat de bono proximi & lætetur de malo. An recuset ei loqui.

**Q**uoad verba. An infamarit aut iniurijs affecerit proximum: & nominatim aliquem de sua familia. An alicui maledixerit, aut male imprecatus sit. An irriserit aut de ceperit verbis aliquem. An consulerit vel mandauit aut sollicitauerit malum aliquod inferri proximo.

**Q**uoad opera. An occiderit, percusserit, aut aliter male tractarit aliquem iniuste. An causa vel author fuerit aliquam factionem & inimicitiam, aut pugnam, vel tumultum. An vehementer aut cum impatiencia iratus sit alicui, aut in corrigendo sibi subditos, limites rationis excesserit. An de facto exerceat inimicitias, aut dedignerit loqui alicui, aut nolit condonare ei a quo accepit iniuriam, etiam si offerat se ad satisfactionem. An litem iniustam alicui intenderit, aut adhuc persequatur. An aliquibus fuerit malo exemplo, aut iuuerit male facientes, vel impederit bene agere volentes. An temere exposuerit se mortis periculo. An procurarit sterilitatem vel abortum foeminae. An durus fuerit & inhumanus pauperibus, aut eos irriserit: nec de suis superioribus eos iuuerit.

**Q**uoad omissionem. An omiserit auxilium ferre proximo quem vidit versari in aliquo euidenti periculo salutis, siue animæ siue corporis. An omiserit tueri bonum proximi, cum potuit sine incommoditate. An corripuerit male agentes, præsertim eos quos debuit ex officio.

*Circa sextum preceptum.*

**Q**uoad cogitationem. An turpes cogitationes habuerit in quibus sibi complacuerit, aut turpibus desiderijs conenserit.

**Q**uoad verba. An verba lasciuia protulerit, aut audierit & quo hinc, & an sepe talia vsurper. An ceinerit cantiones lasciuas. An laudauerit seipsum de admissa turpitudine: aut aliquam foeminam diffamarit, & impeditur ne expeteretur in coniugem.

**Q**uoad opera. An aspexerit impudice, vel quid aliud egerit affectu libidinis; aut dona vel promissa, aut literas aut cedulas & assignationes miserit, aut se ornarit intentione talis turpitudinis. An libros impudicos legerit, aut re-

creationis etiam gratia cantarit, aut cantare fecerit cantiones lasciuas, siue humi a voce siue musicis instrumentis. Et an de nocte tale quid vsurparit in teatione libidinis. An duxerit & ducere docuerit choreas inhonestas. An impudice tetigerit seipsum aut alium: indeque incidit in pollutionem: aut ut incidere procurarit: vel occasionem dederit. An foeminam aliquam cognouerit, eamque an solutam vel coniugatam, consanguinitate vel affinitate aliqua sibi coniugatam, virginem aut religiosam. An se nefando sodomie crimine contaminarit, aut sacrilegium commiserit votum habens castitatis. An aliquem docuerit & induxerit ad eiusmodi turpitudinem. An vtatur consuetudine peccatorum, sitque obnoxius istiusmodi turpitudini. An crapula & ebrietate (que luxurie fomites sunt) notabile detrimentum sibi in anima vel corpore intulerit.

**Q**uoad omissionem. An matrimonio coniunctus debitum coniugale negarit coniugi, nullam habens excusationem non reddendi. An non fugiat occasiones labendi in peccatum carnis, nec armet se aduersus illas, oratione & carnis mortificatione. An negligat curam suæ domus, non curans quis in eam ingrediatur, aut ex ea egrediatur.

*Circa septimum preceptum.*

**Q**uoad cogitationem. An habuerit, vel adhuc habeat voluntatem capiendi aut retinendi alienum, aut nocendi proximo in suis bonis, vel fraudandi ipsum.

**Q**uoad verba. An mendacijs, iuramentis, fallacijs, vexationibus, ac libus iniustis, que fieri sibi alienum, siue per iustitiam iniustitiam, siue alia via. An licite promissa non impleuerit.

**Q**uoad opera. An furatus sit & quantum. An bona Ecclesiastica seu beneficia obtinuerit per simoniam. An ex bonis naufragorum aut aliorum, qui similem passi sunt iacturam ceperit aliqui animo sibi retinendi. An vendendo vel emendo vsus sit aliqua fraude circa mercium substantiam, quantitatem, qualitatem aut pretium. An inierit aliquem contractum vsurarium. An credita pecunia plus vendiderit quam fecisset pecunia presentis, & quantum excesserit pretium ordinarium. An mutuo dederit ad vsuram siue apertam, siue palliam aliquo contractu. An aliquid receperit, cuius non fecerit mentionem in ratione dati & accepti. An per vim aut clam quod suum est ab alio derendum abstulerit propria auctoritate, cum facile posset recuperare auctoritate iudicis. An luserit que alienare non potuit: Ausan luserit cum ijs qui alienare non poterunt: vt minores ætate, filij familias, vxores Religiosæ & mancipia. An damnnum aliquod intulerit bono communi, aut priuato alicuius: aut illud mandauerit vel consulerit vel approbarit, nec cum posset & deberet impedire, nec reuelarit. An participarit in re furtiua: aut eam quam furtiuam esse scituit aut probabiliter suspicatur est emerit sibi. An furto accepta, domi suæ seruarit, ac celarit. An male consumat bona sua. An mercedem maiorem acceperit quam meritis esset. An celarit vitia & defectus notabiles rerum, quas vendidit.

**Q**uoad omissionem. An soluat que debet, præsertim pro mercede alieni laboris. An obligatus fuerit ad procuracionem executionis testamenti vel alterius negotij: & neglexerit procurare cum notabili aliorum detrimento. An aliquorum pupillorum cura ei commissa fuerit, quorum bona conseruare & augere non curarit. An inuenta retinuerit sibi nulla facta inquisitione cuius essent. An ex auaritia inhiet lucro. An iustas ac iuste impostas gabelas & tributa soluere contempserit cum exigerentur.

*Circa octauum preceptum.*

**Q**uoad cogitationem. An ob leues coniecturas male iudicauerit de proximo, aut de eo male suspicatus sit.

**Q**uoad verba. An alteri aperuerit tale suum iudicium, aut suspicionem. An ordinatè mentiatur. An subornauerit aliquem testem. An absque necessitate peccatum proximi fecerit patefecerit. An detraherit vitæ alienæ, aut murmurarit, aut detrahentibus vel murmurantibus aurem præbuerit. An infamarit aliquem præsertim personam publicam: vt Principem, Iudicem, Prælatum, Cõcionatorè, &c. An aliquos libel-

libellos diffamatorios euulgarit. An vocatus iudicē in testem, recusat dicere veritatem, quam scit, aut in praeiudicium proximi plura dixerit quam interrogaretur.

Quoad opera. An semen aliquod discordiarum inter aliquas personas, aut malos rumores sparserit. An oblocutione sua aliquem impeditit à consecutione notabilis boni. An litigans, propugnacioni suae causae inseruerit crimen aliquod occultum aduersae partis, nihil spectans ad illud, de quo principaliter litigatur. An falsis accusationibus, & calumnijs, aut alio artificio effecerit, vt pars aduersa caderet causa, nec ius suum consequeretur.

Quoad omissionem. An audiens murmuraciones & detractiones aduersus aliquem, non sit conatus illum excusare, & defendere cum potuit immo forte sibi in eis complacuerit, aut etiam eas fouerit.

Circa 9. & 10. preceptum.

**A**N infidatus sit alieno thoro, alienam uel sponfam aut uxorem ad turpitudinem sollicitari aut scandalizarit. An aliena bona concupierit siue mobilia, siue immobilia: aut dignitates, officia, munera, & beneficia. An procurauerit talia ipsi auferri vt sibi darentur. An tactus sit inuidia dolendo de bonis proximi. An inordinate amauerit bona huius saeculi, nec requieuerit à sollicitudine, ea siue licite siue illicitè acquiritendi.

Interrogationes speciales faciendae circa varios hominum status, ac primo circa statum Ecclesiasticum.

#### SECTIO V.

38.

**C**um duo sint genera Christianorum, vt ex D. Hieronymo refertur 12. capite 1. Duo sunt: Vnum Clericorum seu Ecclesiasticorum, & alterum laicorum: prius referemus interrogationes faciendas Ecclesiastico. Ac primo communes, quales sunt. An statum eum elegerit, solum aut principaliter vt uiuere ex Ecclesiae bonis. An cum non sufficienti eruditione ordines susceperit: nempe Latinam linguam non intelligens, nec Sacramentorum, saltem Baptismi, Eucharistiae & Pœnitentiae, materiam & formam sciens. An sciat quid sit Sacerdotem esse, & ad quae ipse teneatur. An Symoniacè promotus sit, ad ordines, dederit uel aliquid pro sua promotione. An susceperit ante legitimam aetatem, aut existens in statu peccati mortalis: aut ligatus excommunicatione uel suspensione: aut irregularis, uel publica laborans infamia. An in tali statu exercuerit aliquem sacrum ordinem. An sine decenti habitu & tonsura Clericali incesserit, aut aliquo habitu usus sit, qui de deceret ipsius statum, & alios scandalizarer. An exercuerit munus aliquod saeculare, quale est Medicus, Aduocatus in foro ciuili, Procuratoris, Mercatoris, Histrionis, & simillium. An aliquem actum sacri ordinis exercuerit sine ornamentis requisitis. An recitarit horas canonicas deuotè & attentè: aut inter recitandum, uoluntariè distractus sit, aut uerba non pronunciarit integrè. An peccati mortalis sibi confictus Missam celebrarit non praemissa sacramentali confessione, habendo copiam Confessarij. An celebrarit post sumptum aliquid cibi uel potus: aut in loco uel tempore non conuenienti. An seruauit consuetas ceremonias. An celebrarit in altari fracto: uel sine, aut cum corporali immundo, aut sine deuotione & attentione: aut nimis festinanter & sine reuerentia: aut lucri potius gratia quàm ex deuotione. An plures Missas in die celebrarit sine licentia. An accepta elemosyna pro pluribus Missis dicendis, vnã tantum dixerit. An suã culpã omiserit celebrare solemnioribus anni festis. An celebrarit cum uino acetoso, & An sua negligentia aliquid de sanctissimo Sacramento deciderit in terram, aut ex calice effusum sit. An passus nocturnam pollutionem ex mortali causa pronientem, celebrarit Missam. An Missam dixerit in aliquem malum finem, aut in ea usus sit superstitione aliqua. An domi foueat ludos: aut suspectam personam. An vitam agat scandalosam, ebriosus, fraudulentus, turpis, uenator, sediciosus, &c. An utatur nimia familiaritate mulierum illas comitando, manum illis porrigendo, aut aliud id genus aulicum obsequium exhibendo.

Quoad Confessarium specialiter. §. 1.

**A**N confessiones audierit sine licentia, aut non idoneus ad id munus, aut solius commodi sui temporalis gratia. An in aliquo uoluarit Sacramentale sigillum, detexerit uel aliquid auditum in confessione. An perfunctorie audierit, vt plures expediret, omisis debitis interrogationibus, & alijs ad Pœnitentem inuandam necessarijs. An in dubijs omiserit doctores consulere. An malè impouerit satisfactionem. An absoluerit ubi non debuit ob aliquod impedimentum. An usus sit interrogationibus indifferetis, quibus aperuerit uiam ad peccatum, quam Pœnitens ignorabat. An Pœnitentem prouocarit ad aliquod malum.

Quoad Curatum. §. 2.

**A**N procurarit sibi curam animarum, cum ad eam incapax sit. An et si capax est, sollicitus tamen non est obligationi suae satisfacere. An curet vt Ecclesiae altaria, eorumque ornamenta conferuentur munda. An per suam negligentiam aliquis Parochianorum sine sacramentis è uita excesserit. An recuset audire storum confessiones cum legitime petunt. An curet scire qualiter ipsius Parochiani uiuant: ijsque mederi quos inuenerit infectos peccato. An curam pauperum, qui necessitate premuntur in sua Parochia. An aegros uisitet, consolando eos, horrandoque ad patientiam & ad conformandam uoluntatem suam cum Dei uoluntate, ac monendo de suscipiendis sacramentis suo tempore, ac testamento condendo. An doctrinam Christianam tradat, mysteria nostrae religionis explicando, tradendoque rationem confitendi, communicandi corpore Christi, orandi & audiendi Missam; monendoque de ijs quae ad singularum officium spectant. An omiserit urgere alicuius testamenti executionem. An renouauerit suo tempore Sacramentum Eucharistiae, & sacrum oleum, sanctumque Christina.

Quoad beneficiarium. §. 3.

**A**N obtinuerit aut procurarit simoniacè seu data aliqua pecunia, aut aliquo quod sit pecunia aestimabile: quale est obsequium exhibitum Praelato ad beneficium ab eo in compensationem obtinendum. An habeat beneficium requirens personalem residentiam, nec ipse resideat. An in eo acquirendo fecerit alicui iniuriam, cui potiori iure debebatur. An satisfecerit obligationi quam habet recitandi horas canonicas, & gestandi habitum & tonsuram Clericalem. An malè expendit redditus sui beneficij, & an ex ijs superfluum aliquid habuerit, de quo non fecerit pauperibus elemosynam.

Quoad Episcopum. §. 4.

**I**nterrogationes faciendae Episcopo, propterea silentio praeteriri possunt: quod ipse cui incumbit satisfacere ceptorum difficultatibus, tanta scientiae esse praesumendus sit, vt per interrogationes inuari nihil opus habeat. Quia tamen Confessarius audiens confessionem ipsius, non ideo liberatur obligatione cauendi, ne eidem confessioni ad integritatem, aliasque conditiones necessarias aliquid desit, consultu erit attingere, quae Bartholomaeus à Medina in instructione Confessariorum lib. 1. ca. 16. §. 1. commemorat peccata ipsius grauiora, tanquam perniciosa populo ei commisso, & scandalosa. Primum est, non annuntiare ouibus suis Euangelium aut non seragere, vt in suo Episcopatu concionatores idoneos habeat. Secundum, non residere in sua Diocesi, moram ibi faciendo ad instar boni patris in sua domo: nauarchi in sua nauis, & boni pastoris in suo ouili. Tertium, non uisitare totam suam Diocesim, vt debet, ad prouidendum necessitatibus pauperum, afflictos consolandum, & delinquentes corrigendum. Quartum, Ecclesiastica officia & beneficia uiris probis, ad eaque idoneis non conferre. Quintum, oues suas non diligere: aut non magis curare quam si nunquam de illis summo Pastori Christo rationem esset redditurus. Sextum, Episcopatum appetuisse ac sagessisse, vt fauore humano illum adipisceretur. Septimum, alium Episcopatum quaerere per intercessores ac internuncios saeculares. Octauum, subditos suos infestare, nouis impositionibus, & libitibus. Nonum, indignis sacros ordines conferre. Decimum

non

non merentibus dare beneficia alijs postpositis, vt fieri potest eo quod illi sint consanguinei vel affines: domestici vel familiares, & isti sint exteri. Vndecimum deesse pauperibus in necessitate. Duodecimum ex reatibus Ecclesiasticis instituire patrimoniam, & palatia sumptuosa ad sui memoriam conseruandam. Decimum tertium, Non curare vt in suo tribunali pauperum cause expediantur, quam cito fieri potest. Decimum quartum, excedere in victu & vestitu, nec debitum seruare ordinem in ijs que spectant ad ipsius domum & familiam, nec in ceteris. Ex quibus peccatis quinque prima perniciofa esse populo, cetera scandalosa, manifestum est: nec ordinario excusationem ea habere in te tanti momenti quanti est regimē Ecclesie Dei, intelligi potest tum ex alijs, tum ex illa seria cohortatione. D. Pauli *Ad Romum. 20.* Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.]

*Quoad Religiosum. §. 5.*

**H**ic quoque faciendae interrogationes silentio præteriri possunt, cum præsumendum sit in religione non deesse institutionem, per quam quilibet Religiosorum valeat conscientiam sufficienter & discutere & Confessario aperire. Cuiusmodi præsumptione videri potest factum, vt Conc. Trident. *sess. 23. cap. 15.* in Confessarijs Religiosorum non exegerit Episcoporum approbationem, sicut in Confessarijs secularium. Veruntamen quia id non obstat quominus audiens Religiosi confessionem cauere debeat, ne aliquid necessarium in ea omittatur: erit adhuc consultum subijcere peccata, que p̄dictus Bartholomæus in sequent. §. 14. commemorat Religiosorum. Primum est, Religionem ingredi per simoniam seu datā pecunia, aut alioque pecunia estimabili. Secundum, non habuisse bonam intentionem ingrediendo, vt contingit ei qui intendit non sustinere laborem, sed tantum commodē viuere. Tertium, reticuisse impedimenta ingrediendi: siue infirmitatis corporis, siue alia. Quartum, ex arctiori ad laxiorem migrasse sine dispensatione. Quintum, induxisse aliquem ad suam religionem, labores illius tacendo, aut de illa mentiendo, ab aliaque meliori reuocando. Sextum, non seruasse votum castitatis, labendo in aliquod peccatum carnis, tum paupertatis, habendo aliquid proprium, tum etiam obedientie, non obsequendo suis Superioribus aut statuta suae religionis transgrediendo. Septimum, male functum esse officio dato sibi a Superiore. Octauum, inordinatum affectum habere erga aliquam personam. Nonum, in visitatione Superioris non dixisse quod sciuit, quodque dicere tenebatur. Decimum, aliquam suae religionis ceremoniam præcipuam non obseruasse: vt carnem comedisse contra suum institutum. Vndecimum, tempus otiosē inutiliterque consumpsisse. Duodecimum, immodestum fuisse, aut murmuratorem, aut impatientem, aut negligentem in oratione & in sacramentorum susceptione. Decimum tertium, inordinatam amorem affici erga consanguineos & affines, itemque temporalia ista prosequi, ac de terrenis rebus ita loqui, vt ei sapere videantur. Decimum quartum, deposuisse habitum, aut non recte ad diuinum officium, aut non orasse pro benefactoribus siue viuis siue defunctis. Hæc ille, que manifestum est non esse in Religioso dissimulanda, vt pote de se grauiora: aut periculosa aut scandalosa.

*Interrogationes speciales faciendae circa statum laicalem, ac primo in ordine ad familiam.*

**SECTIO VI.**

**I**nrogationes que supersunt faciendae laicis, sic distinguuntur: vt cum illi sint tum familiae tum reipublicae partes quaedam, in ordine ad familiam fiant. Primum quoad coniugem. Secundum, Quoad filium familias. Tertio Quoad seruum. Quarto quoad tutorem & testamenti executorem. In ordine ad reipublicam verò, fiant tum quoad eos, qui lucro in ea vacant, vt opifices & mercatores: tum quoad eos qui literis vacant, vt Magistri & Scholastici: tum quoad eos, qui corpori curam do incumbunt, vt Medici, Chirurghi, & Pharmacopolæ: tum quoad iustitiae ministros, vt Iudices, Aduocatos, Procuratores, Apparitores, tum quoad eos qui

ipsam reipublicam administrant siue in vrbe vt Magistratus & ipsorum Officiales: siue in tota prouincia, vel regno: vt Principes & Gubernatores ab ipsis constituti, ac etiam milites, quorum opera hi vtuntur ad bellum & præfidia.

*Quoad coniugem. §. 6.*

**A**n contraxerit matrimonium habes votum castitatis, aut id aliquo gradu prohibito. An cum duobus vel duabus simul contraxerit. An alicui fidem dederit contrahendi cum ea, vel cum eo, nec seruauerit. An clandestinē, aut animo fallendi, vel in itatu peccati mortalis vel voluptatis tantum, non autem suscipiendae prolis gratiā, contraxerit. An vir uxorem cognoscat indebito tempore, & cum periculo nocendi serui. An absque iusta causa neget coniugi debitum coniugale, & An ei fidem coniugalem seruet. An pacificē viuant inter se necnē. An curam & sollicitudinem bonam gerant negotiorum domesticorum. An blanditijs carnalibus sint nimis addicti, & maritalem agentes vitam, sint inter se concordēs. An maritus suis prouideat de necessarijs, aut nimium vacet ludo. An eos quos habent in familia, instruant & spectantibus ad Christianam doctrinā, imbuantque bonis moribus, & educant in Dei timore. An isdem sint scandalo, iurando, maledicendo aut aliquid male agendo. An permitant aliquod peccatum domi suae committi sicut permisit Helij deo grauius Deo reprehensus & punitus *ex 1. Reg. 2. & 4.* Aut non curent qualiter sui domestici viuant, quod quæ sit damnabile patet per illud *prius ad Timoth. cap. 5.* Si quis suorum & maximē domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior. An vxor marito obediat in ijs, que iuste imperat. An aliquid ei surripiat. An oportune ei præparet, sufficienterque admittit & necessaria. An externis largiatur, quod est domi necessarium. An patiens sit & humilis. An contra, turbulenta sit, & arrogans, nec curam vllam habeat domus.

*Quoad filium familias §. 7.*

**A**n iurauerit mendaciter aut dubitans de veritate. An maledicatur, iniurijs afficiatur, innocet Diabolum, aut frequenter nomen illius in ore habeat. An adeptus vsum rationis, non obtulerit se Deo ad seruendum ei tanquam suo Creatori. An sit inobediens & molestus patri, & matri, magistris, & præceptoribus, senibus & Ecclesiasticis. An fuerit, seque de Jugula & ludo. An vtatur cantilenis turpibus. An risatus sit cum alijs, aut eos iriserit. An fuerit criminator, aut spurcus aut impudens. An abfuerit a suis lectionibus, aut manserit otiosus, aut perditorem vsus sit societate. An sit in deuotus, non orans Deum, nec mane & vesperi se illi commendans.

*Quoad seruum.*

**A**n diligens sit in obsequio domini sui, ei obediens ac seruans ex amore tanquam Christo. An in aliquo peccato obtemperet domino suo. An domini sui bona augere studeat. An verò deperire sinat, aut etiam sibi vsurper. An aliquid domi gestum, quod debet seruari secretum, re ferat externis. An sit rixosus, rebellis, piger, querulus, criminator, immodestus ac malis moribus. An aliqua ratione turpiter se gerat cum foeminis quæ domi sunt.

*Quoad Tutorem & testamenti executorem.*

**A**n distulerit executionem testamenti: siue per negligentiam, siue debita operā, vt interea vti posset bonis defuncti. An prius satisfecerit donis gratuitis defuncti quam illius debitis. An distulerit satisfacere ijs quibus defunctus aliquid legauit, & ideo illi compulsi sint aliquas expensas facere ad obtinendam talem satisfactionem. An cum venderentur sub auctione aliqua pupillorum bona, antequam alij emptores aduenirent, auctiōnem ipsam accelerare fecerit, vt res sibi minore pretio maneret, quam aliqui venderetur. An sua negligentia aliquid de talibus bonis sit amissum aut deterius effectum. An pupillis & viduæ prouiderit de necessarijs.

*Interrogationes circa statum laicalem in ordine ad Republicam,  
& quoad eos qui subijunt illius regimini.*

## SECTIO VII.

*Quoad Opificem. §. 8.*

**A**N in executione sui operis fideliter se gesserit, nec quemquam fefellerit aut grauarit. An rem vnam pro alia tradiderit, aut aliter deceperit in substantia, quantitate, aut qualitate rei tradita. An suum opificium vendiderit quā carē potuit, excedendo etiam rationis limites. An detraxerit ab ijs eiusdem artis, eisque iniuderit, aut etiam conatus sit delere bonam opinionem de ipsis concepitam. An mentitur, iure ac peieret, promittatque ad certum diem aliquid quod non praestat. An plus materiae postulet, quam requiratur ad perficiendum opus, ut reliquum sibi retineat. An novas formas sui operis excogitet in malum finem, vel ut irrationabilem mercedem exigat. An tyrones suos pro quibus institutis pecuniam accipit, in alijs rebus, quam suae artis occupet, nec instituat quantum obligatur.

*Quoad mercatorem. §. 9.*

**A**N vendiderit, aut vendat aliquas res, quibus homines communiter male vtuntur, aut quas emptorem in malum vsum emere praesumebar probabiliter: vt venenum, laruas, taxillos, &c. An paratus sit vendere supra iustum pretium, quod non licet, ne si quidem creditur pecunia id fiat: aut emere infra iustum pretium, quod nec licet, etiam si id fiat pecunia praesenti. Ad quod facit illud prioris ad Theosal. c. 4. Ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fia- trem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus. An Christiani nominis hostibus aut haereticis vendiderit equos, arma, aut alia quibus iuuarentur ad bellum gerendum aduersus eosdem Christianos. An merces vitiatas aut adulterinas vendiderit emptori, vitio non declarato. An v- sus sit monopolio, conueniendo cum ceteris mercatoribus, ne alio quam certo ab ipsis constituto pretio rigorofo merces venderentur aut emerentur: vel ipse in eundem finem merces omnes vnius generis emerit. An carius merces suas vendat ijs, qui illarum aestimationem non norunt, quam ijs qui norunt. An supra iustum pretium à Magistratu determinatum. An fideliter tradat emptori merces venditas, vel antequam domo sua efferantur, redimat illas longè viliori pretio, quam vendiderit. An v- sus sit cambijs illentis, aut contractibus v- sarijs: vel talibus vtendi fuerit alijs author aut mediator. An in mercium qualitate, vel quantitate ea pondere aut mensura deceperit emptorem, vel vnam rem pro alia ei dederit. An falsificarit suas merces, aut immiscerit putrefactam vel corruptam, sanae & integre. An in negotiando seruet socijs fidelitatem.

*Quoad Magistrum seu Doctorem. §. 10.*

**A**N cum se incapacem cognosceret, susceperit docendi onus. An fauore aut muneribus curarit se praeferi digniori. An docendo obloquatur alijs doctoribus. An negligenter vacet suis lectionibus. An scientias prohibitas doceat, aut operam in eis ponat. An docens ius civile: aut medicinam admittat ad suam scholam Sacerdotes aut Religiosos. An docuerit aut defenderit opinionem aliquam falsam aut periculosam. An impugnarit veritatem, aut nouitatum amator sit. An negligat profectum suorum auditorum, nec eis bonum exemplum praebet. An ad gradum admisit aliquem indignum. An seruauit statuta Academiae. An laudet & commendet seipsum, & ceteros magistros contentinatusque obloquatur ac detrahatur. An modo illicito, aliorum magistrorum auditores ad se attraxerit. An alicuius promotionem ad gradum per maleuolentiam impederit, aut factiones vel dissensiones fouerit in Academia.

*Quoad Scholasticum §. 11.*

**A**N honorem magistro suo detulerit, eique obedientiam in omnibus quibus debuit. An ei oblocutus sit, aut eum irriserit. An studuerit in indebitum finem: nempe ad acquirendas diuitias, aut consequendos honores principali-

ter, non autem ad maiorem Dei notitiam vt illi seruiat, & seruendo aeternam salutem consequatur. An contra veritatem contendat, ne appareat victus. An amator sit doctrinarum peregrinarum & nouarum. An male terat tempus, omittendo lectiones, nec studendo, nec progressum in literis faciendo. An male expendat bona parentum in ludis, & in alijs nequitijs. An vtatur consuetudine prauorum: aut ipse alijs author sit prauitatis. An in dando suffragio aliquid commiserit contra iustitiam: aut ad quid simile alium induxerit. An seruet Academiae seu Collegij statuta & leges. An de sua scientia multum praesumat, & alios arroganter contemnat.

*Quoad Medicum & Chirurgum. §. 12.*

**A**N antequam studuerit sufficienter, tentarit aut tenteri mederi morbo alicui periculoso, aut ad gradum promotus sit. An priusquam nouerit qualitatem morbi, ei applicet pharmacum periculosum. An postquam morbi qualitatem detexit: attentus non sit in medendo, aut negligens in visitando aegro, aut in studendo, aut in capiendo consilio: aut recuset cum alijs conferre quando morbus fuerit periculosus. An detrahatur existimationi aliorum eiusdem professionis & contemnat bonas eorum curationes. An in morbo periculoso omitat maturè monere aegrum, vt sollicitus sit de salute animae suae, & sacramenta recipiat. An protrahat morbos ad augendum suum lucrum. An ausus sit vt ex- pectentia periculosa cum notabili vitæ discrimine aegrotantis. An aegrotanti aliquid pro salute corporis consulerit in preiudicium salutis animae. An alicui foeminae pharmacum praebuerit, aut consilium aliquid dederit ad impediendum conceptionem foetus, aut ad abortiendum. An conueniat cum pharmacopolis ad vitandas potiones, aut has taxet supra consuetum pretium. An plures aegrotos suscipiat curandos quam possit curare. An sine sufficienti causa dispense- tum suis infirmis in fractione ieiunij, aut in esu carniū. An sua culpa aeger mortem obiecit, aut incurrerit in periculum moriendi. An recuset ad esse pauperi non habenti alium à quo in aegritudine sua curetur. An ex odio, aut fastidio, aut morositate aegri destiterit circa eum praestare quod debuit. Aduerte non esse absoluedos Chirurgos eos, qui non approbati peritorum iudicio, tenere se ingerunt aegris curandis, aut qui vsurpant sibi munus Medicorum, nec hos consulunt, quoad illa quae sunt ipsorum propria.

*Quoad Pharmacopolam. §. 13.*

**A**N munus suum exerceat antequam nosset necessaria ad illud debite exequendum. An componendo medicinas defecerit in aliquo eorum, quae sibi praescripta erant: aut omiserit aliquid de ijs, quae Medicus expressisset in sua ordinatione. An suis medicinalibus compositionibus seu confectioibus aut scrupulis, vnum pro alio ponat: vt mel pro saccharo. An vitiatam pro integris, admixtam alienis pro puris vendiderit. An dederit vnam potionem pro alia. An dederit aliquid ad impediendum conceptum foetus, aut ad abortiendum. An aliquid venenosum tradiderit ei, qui periculum illius ignoraret: aut quem male vsurum praesumebat. An aromata aut pharmaca dederit corrupta, aut quae nullam haberent virtutem. An peccauerit circa qualitatem & quantitatem suorum aromatum, & aliorum quae habuit venalia, male ponderans aut male mensurans. An vendat irrationabili pretio: & subornet Medicos ad taxandum medicinas plus quam ratio ferat.

Haecenus interrogationes faciendae laicis qui reipublicae partes sunt, regimini aliorum in ea subiectae. Deinceps sequuntur faciendae ijs, quibus tale regimen est commissum pro communini salute tuenda, siue armis siue iustitiae administratione, ac etiam administris ipsorum. Tales igitur sunt.

*Reliquae interrogationes circa statum laicalem in ordine ad reipublicam quoad eos qui praesunt illius regimini & administratos ipsorum.*

## SECTIO VIII.

*Quoad Principem. §. 14.*

**A**N totum vel ex parte dominium suum, vel ordinem, siue statum, vel ius primogeniti iniuste possideat.

An



An oneret subditos iniquis exactionibus vel contributionibus. An precibus, vel metu cogat subditos mutuas sibi pecunias dare, vel se obligare ipsius creditoribus pro debitis que contraxit. An a subditis suum, vel iumentorum suorum aliquid seruitium exigat non soluendo mercedem. An iubeat seruos suos diuersari in domibus subditorum, non habens ad id ius, nec iustum pro eo pretium persoluens. An ad vendendam suo arbitratu opera suorum subditorum, vel ad vlciscendum se de illis, euocari eos ad militiam, vel milites oppresserit. An pacem inter subditos conferuet, & iustitiam illis administret. An sibi reseruet pecunias ad aliquod negotium seu opus publicum contributas, puta ad restaurationem pontium, viarum, &c. An ex communibus bonis quippiam vsurpauerit, vel in suam potestatem redigere conetur. Idem iudicium est de bonis seu pecuniis apud sequestrum depositis, vel oppignoratis, de bonis defunctorum vel ad templorum fabricam pertinentibus: quæ omnia restituere debet cum fructibus, qui ex eis antea percipiebantur. An non impedierit peccata publica & abusus sibi cognitos, quos impedire potuerit & debuerit. An negligat quod Deus in suis actibus, & palarijs offendatur. ludis veteris, turpitudine morum, aliisque id genus. An in suis dominijs permittat vsus vel iniquos contractus. An contra voluntatem eius qui laesus est, laenti condonet & penam remittat. An omittat solvere suis creditoribus debita, & seruis mercedem: & officibus pro se facta opera. An male impendat suos redditus. An venatorias sylvas habeat cum notabili danno subditorum. An negligat ius suum subditis reddere. An negligat pauperes. An Ecclesiam vel homines Ecclesiasticos non reuerentur: vel quid contrarium Ecclesie libertati commiserit.

*Quoad Iudicem. §. 15.*

**A**N iniquè iudicauerit, propter affinitatem vel consanguinitatem, amicitiam, gratiam, damnum vel incommodum priuatum, metum, &c. An teneat iudicari non adhibita prius diligentia necessaria ad causam cognoscendam. An suæ iurisdictionis fines prætergressus sit, iudicans de causis vel hominibus, de quibus non poterat. An iniuste condonarit penam corporalem, mutando eam in pecuniariam. An recusatit vel distulerit iudicium ijs, qui illud suo iure postulabant. An agendo cum litigatoribus, nimia asperitate vtatur, irascens aut verbis vitens iniuriosus. Innumera sunt alia peccata que contra ius naturale commissa pendent ex ian dictis, & veluti searunt tanquam ex fonte: puta odium, prauus affectus, vehemens lucri cupiditas, timor humanus, defectus scientiæ vel studij, &c. Ad que accedunt alia que toties totq; modis committuntur, quam multa sunt ea que iudicibus ipsis prohibentur, si forte contra faciant: maximè autem se corrumpti permittant.

*Quoad Gubernatorem & Prefectum. §. 16.*

**A**N cum non esset capax nec idoneus, sui tantum commodi gratia, eum Magistratum seu munus sit adeptus favore, donis, &c. nullam habendo rationem publicæ utilitatis. An seruet, que iureiurando promissit, se bene fideliterque in suo munere versaturum, conseruando leges, & consuetudines regni ac prouinciarum. An aliquod officium vendiderit quod fuerat gratis concedendum. An inquirat vtrum officia eius suum vnicique reddant. An curet vt publica negotia, actionibus & priuatis affectibus semotis tractentur: monendo eos, qui his malis mederi queunt, si quid secus fieri contingat. An dissimulet ea que iniuste ab alijs inferioribus Prefectis committuntur, propria commoda seclando, alios turbando, vexandoque, non soluendo operarijs debitam mercedem, vel debita creditoribus: lucrum querendo ex deposito vel pignore, & grauando populum, ac præsertim pauperes & viduas. An sepe visitet publica loca, vt carnarias, piscarias, vinarias & pistorias tabernas, seu fora & porticus rerum venalium, plateas, &c. vt intelligat si quid per fraudem in illis fiat cum populi damno. An annonæ moderatum pretium imponat vel imponendum curet. An provideat ne destituta annona, & ne ea vendatur, que vitiosa sunt vel corrupta. An visitet carceres, vt videat quomodo tractentur qui sunt in custodia. An iniuste quempiam tradat in carcerem, vel pro

dimissione è custodia, aliquid ex gat, vel carcere nimis fenetro ac incommodo vtatur. An curet vt vigilas & excubiæ suo munere fungatur. An obeat vigilas, & provideat ne populus à latronibus vel grassatoribus & maleficis molestiam patiat. An visitet Xenodochia & domos ad quas pauperes se recipiunt. An det opera, ne que mulier infamis in ijs locis versetur; & vt homines flagitiosi, otiosi & vagi pelantur. An magno studio curet ne quod peccatum publicè permittatur, vt concubinatus, circulatorum & præstigatorum ludicra, scenicorum licentia, &c. An permittat vt in comæijs & ludorum spectaculis, lasciuæ mulieres in scenam prodeant: que est corruptela morum, nomine Christiano indigna. An procuret vt quod datum est pauperibus ijs distribuatur. An grauet pauperes, nec cito expediat negotia illorum. An sibi vsurparit bona Ecclesie: vel aliquid commiserit Ecclesie libertati contrarium, vel aduersus hominem Ecclesiasticum. An curet ne sui serui & domestici impediunt liberum aditum ad suas aedes, ijs qui ad ipsum recurrunt. An remissas ne gligenisque sit in expediendis negotijs.

*Quoad Maiorem, Scabinum, aut alium Officialem vrbis. §. 17.*

**A**N procurarit vel emerit tale officium, & an illud publicè utilitatis, an proprij commodi causa exerceat. An seruarit suum iuramentum de munere suo rectè & fideliter administrando: & an ea perfecta habeat que ad illud pertinent. An sibi vsurparit agros vrbis proprios, vel posita in ærario eiusdem. An reipublicæ bona male collocet & expendat. An cura sibi demandata distribuendi aut vendendi aliqua bona reipublicæ, æquitatem seruarit: vel ea tradiderit suis seruis, propinquis, amicis, &c. & non pauperibus. An retineat pecunias sibi traditas ad comparandam annonam vel stipendia prædicatorum militum. An dissimulet que laniones & tabernarij, &c. iniquè perpetrant vt ipse vel serui meliora, & viliori pretio obtineant. An abiat à consilio vel iudicio, cum in ijs tractatur aliquod negotium ad ipsius propinquos vel amicos pertinens, ne illis aduersetur, quando hæc absentia vergit in publicum damnum. An ijs que in publicis negotijs rationi sunt consentanea aduersetur, eo quod fuerint ab aduersarijs proposita. An in eiusdem generis negotijs excitet factiones & discordias, pertrahens populum ad suas partes, nec proloquens ea que tulle conscientia, dicenda esse intelligit. An publica officia al cuius momenti suis domesticis, propinquis vel amicis, licet minus idoneis, committat: non conferens ea, prout ratio & æquitas postulat. Similiter an ijs quos oderit, procuret seu tribuat id genus munera, quibus multa onera sunt adiuncta. An quia est talis officialis reipublicæ, vilius emat vel pluri vendat. An lucrifacta expendat in res illicitas. An imminuerit domos vel alia loca constituta ad deuotionem fouendam. An creditoribus debita non soluat vel mercedem operarijs, vel artificibus pretium pro opera & artificio. An ea habeat cognita que legibus officij sui præscribuntur. An det opera vt leges immunitatum & priuilegiorum seruentur. An quia Gubernator vel Officialis est, eximat seipsum vel suos propinquos ab onere excipiendi hospitio copias militares, vel sibi sumat immunitatem alicuius alterius publici oneris: cuiusmodi sunt pendere tributa, contribuere, &c. eatenus grauando magis cæteros.

*Quoad Militem. §. 18.*

**A**N curarit se referri in numerum militum vt acciperet stipendium, & postea fugerit aut tempore necessitatis à militia abfuerit. An in accipiendo stipendio fraude vsus sit: aut non fuerit contentus cibus in hospitio appositis, quamuis sufficientes essent. An hospites suos vexarit, aut minus aliaue ratione pecuniam ab eis extorserit. An assignatum sibi hospitium reliquerit ob acceptam ab hospite pecuniam, seque cum sociis ad aliud hospitium contulerit. An iuret, blasphemet, abneget Deum vel Sanctos, &c. An violentia & superstitionibus vtatur, aut secum habeat mulierem concubinam, &c.

*Quoad*

## Quoad Aduocatam. §. 9.

**A**N causam aliquam susceperit defendendam, quam nouit iniustam esse, etsi nonnullis iusta videatur. An absque vilo defectu suscipiat quamlibet causam; nihil examinans vtrum iusta sit an iniusta, vel an solum attendat ad ordinem vel formalitatem iuris, nihil expendens causæ meritum. An prosequatur defensionem causæ, quam in ipsa tractatione antinaduerit & intelligit iniustam esse, licet à principio putauerit iustam. An sit idoneus ad suum officium exercendum, & an legitime susceperit doctoris gradum. An negligat studere ad susceptam causam defendendam. An clientem suum instruat ad mentiendum, fallendum, improbè vrgendum, vel ad vrendum fraude aliqua pro obtinenda causa. An supra constitutam sibi mercedem, aliquid accipiat nõ sponte oblatum, vel exigat: vel etiam fingat opus esse diligentiori examine causæ, aut longiore opera, vt à cliente plus pecunie accipiat. An recusat defendere causam pauperis non habentis alium patronum, ideo que non consecuturi suum ius. An mercede conductus ad causas alicuius suscipiendas negligens in eo officio extiterit, aut parum sollicitus. An plures suscipiat lites, quam vt ijs satisfacere possit. An violauerit iurandum, quo promisit se fideliter gesturum esse in suo officio, & an ea sciat, quæ ad illud rectè obcundem sunt necessaria. An illud munus susceperit cum non esset idoneus. An nouerit communes clausulas quas ius requirit in diuersis scripturis contractuum & aliorum negotiorum. An cum opus est exquirat hominis eruditi consilium & iudicium. An breuiter scripta confecerit, quam vt partes re satis declarata, in eam consideratè consentirent. An in examine testium plus scripserit vel minus, quam ipsi dixerint, aut procuret ab illis dici quæ taceri deberent. An tale munus suis amanuensibus exequendum relinquat. An fideliter ad iudicem referat, quæ in examine peracta sunt; non inuoluendo, celando aut obsecrando rem de qua agitur. An sua culpa & negligentia absit à iudiciis cum alicuius notabili damno. An valeat industria, ad lites perspicue, distincteque ordinandas ac disponendas. An negligens sit in seruandis scripturis, vnde causam det multiplicationi litium. An combusserit aut lacerarit scripturas, aut in eis immutavit aliquid in alicuius fauorem. An ad emungendam à partibus pecuniam, morosum se ac difficilem exhibeat, aut impedimenta causetur, aut alias excogitet dilationis occasiones. An subdole cum apparitoribus pactus sit ad informationes faciendas vel mandata danda, non requiritibus partibus aut Iudice non ordinante. An lucrum ex multa querens, subornarit delatorem criminis. An nouum officialem docuerit modos indebitos quæstus faciendi. An quamuis inter partes conuenierit, nihilominus vrgat litem Iudicis sententia dirimi. An preteritui officij proprias vlciscatur iniurias. An aliquid lucretur modis illicitis. An vilius emat quam par sit, ab ijs qui eius fauorem expetunt. An supra constitutam sibi à Principe mercedem quid acceperit. An permittat eos qui sub se scribunt, mercedem exigere ab vna ex partibus cum ab altera iam sit persolutum, An cum ab ipso scripturæ aliquæ exiguntur, eas fingat se inuenire non posse, vt plus accipiat in compensationem laboris in querendo suscepti. An ex re litigiosa apud ipsum deposita aliquid sibi vsurparit, aut ei ad quem spectabat non tradiderit, quam cito oportuit, aut eam detinens compulerit expensas facere ad eam recuperandam. An recuset opem suam pauperibus nõ habentibus defensorem, qui ideo causa cadunt. An diu suspensam teneat causam, & negotia clientum, qui non habent vnde mercedem ei persoluant. An cum vrbe egreditur ad expediendum aliquod negotium eadem opera, alia suscipiat & pro singulis integram mercedem postulet, perinde ac si singulorum tantum gratia eo esset profectus. An perscripserit aliquem illicitum contractum. An subornarit vel admiserit aliquos falsos testes. An scripserit testamentum eius qui carebat iudicio. An suo officio, vt par est, functus sit.

## Quoad procuratorem. §. 20.

**P**rocurator de pluribus, de quibus Aduocatus interrogari solet, potest interrogari. Interrogandus igitur est. An seruauit iurandum quo promisit se facturum suo

munere. An diligenter examinet causam & omnia quæ ad illam pertinent, priusquam eam suscipiat. An sine discrimine quaslibet causas suscipiat, nihil inquirendo de æquitate ipsarum. An negotio aliquo in se suscepto, ad id necessariam omnem diligentiam non conferat, nec viros doctos consulat. An partes inducat, ad eligendos aduocatos seu legisperitos sibi familiares, sed minus idoneos quam sint alij. An absit à consultationibus & iudiciis, in quibus Clientum suorum negotia tractantur, & an ipsius incuria eiusmodi negotia differantur, vel pereant. An falsum dixerit cum iurauit se non petere malitiose dilationem. An plures suscipiat lites quam vt eis satisfacere possit. An stipendia plura & maiora æquo exigat.

## Quoad Apparitorem. §. 21.

**A**N seruet iurandum, quo promisit se fideliter in suo munere versaturum. An accepto mandato capiendi aliquem, spe compensationis eum præmonuerit vt sibi caueat. An plura negotia expediens eodem die tantundem pro singulis exigat, quantum pro diuersorum dierum expeditionibus acciperet. An in hospitij expensas factas integre persoluerit. An cõnuceat peccatis tabernatorum & aliorum eiusmodi, quæ muneribus ab illis accipiat. An lustrans domos aspersit agat vt aliquid muneris extorqueat. An prætextu sui muneris, aliquibus immeritis faciat negotium, aut violentia vtatur, &c. An consilium inierit de aliquo capiendi vel sistendo iudici, vt inde quæstum facere possit. Cæteræ interrogationes de minus communibus nonnunquam faciendæ intelligi poterunt ex dicendis in 3. parte. Eas Angelus & Tabiena in verbo, Interrogationes, attingunt.

## CAPVT QVARTVM.

De prudentia Confessarij in adhortando & monendo Penitente.

## SVMMARIVM.

- 39 Qui sint vel non sint, vel tantum paucis, adhortandi.
- 40 Qui obiurgandi, qui consolandi.
- 41 De admonitione Penitentis errantis ex ignorantia.
- 42 Obligationem esse monendi, quando ignorantia fuerit vincibilis.
- 43 Quando omisso admonitionis inducat obligationem ad restitutionem.
- 44 Dubius inquirens de rei veritate, ea illi aperienda est, etiam si fructus non speretur, non item scrupuloso.
- 45 Monendus est Penitens inuincibiliter ignorans suum errorem, si fructus inde speretur.
- 46 Quid agendum sit, si non speretur.
- 47 De eo quod agendum est Confessario in quibusdam euentibus presertim Matrimonij inualidi.
- 48 Quando absolutio sit proponenda admonitio, & quando postponenda.
- 49 An quod Penitens deprehenditur omittere, sitne ex ignorantia vel ex malitia, expendendum est, antequam absolutio ei detur.

**P**ostquam pro munere Iudicis confessarius per interrogationes adiunctas confessioni Penitentis, huius interiorum animæ statum sufficienter explorauit: prudentiæ illius est videre an debeat necne pro munere patris spiritualis, aliquam siue obiurgando, siue consolando adhortationem addere, & an aliqui sit, de quo debeat eundem monere.

Pertinet autem primò ad istiusmodi prudentiam, vt sicut adhortationem, cum necessaria non fuerit, omittere debet, sic longiore aut breuiore vtatur, secundum quod Penitentis necessitas, dispositioque exegerit. Qui enim paucioribus grauat peccatis frequentius confitentur, & non sunt bonæ conscientie: aut pluribus quidem peccatis grauari sunt, sed discretione, intellectuque sufficienti pollent, & cum sufficienti dolore de peccatis firmum conceperunt propositum vitam deinceps emendandi, non sunt longis adhortationibus fatigandi.

Pertinet secundo; vt duriores & obstinati, qui grauissimis onerati peccatis, exiguum admodum compunctionis & Penitentis specimen exhibent, æquantur increpenturque. Pusillanimes vero, qui tantum de suis peccatis conce-

perunt dolorem, ut non obiurgatione, sed consolatione egeant, confortentur: sicque (ad instar Samaritani. Luc. 10. vinum & oleum in plagas sancti infundentis) pro Penitentium conditione increpario aut consolatione viurpetur. Ad quod faciunt post dicenda in cap. 6. & 7.

41. Perinet tertio; ut Confessarius cum necessitas vel utilitas exigit, admonere vel admonere omittat Penitentem, quem discussa debet conscientia confitentem, videt aliquod peccatum tacere per oblivionem aut ignorantiam inuincibilem: nimirum quia nullo modo meminit, se illud commississe, aut omnino ignorat illud esse peccatum mortale de necessitate confitendum. Ipse vero Confessarius certò nouit a se ab eo commissam esse: quia scilicet committi vidit, aut probè instructus est de grauitate illius peccati, quod tanquam leue tacetur à Penitente. Ad id autem ritè debetque præstandum; tenenda est doctrina quam laicus quidem persequitur Arianus in 4. de Confessione dub. 7. post. 5. quod sed ut breuius, sic & melius Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. ubi fine n. & Canus in tele. de Penitent. parte 6. §. Hinc verò; & Medina in Cod. de confess. quæst. 19. quibus nouissimè accesse- runt Suarez & Sanchez alios citans, ille to. 4. disput. 32. sect. 4. & hic libro 2. de Matrim. disput. 38. Summa autem illius comprehenditur his propositionibus.

De admonitione ignorantem errantis.

### SECTIO I.

42. Prima est. Quando Confitentis obliuio vel ignorantia inuincibilis fuerit (quod colligi poterit ex eiusdem Confitentis conditione, & ex dubitationibus quas patitur: ac etiam ex interrogationibus quas facit) Confessarius obligatur ipsum instruere & admonere de eo quod nouit debere in confessione exprimi, & aduertit per talem obliuionem aut ignorantiam taceri. Hanc propositionem quam sine controuersia receptam esse notat Canus, satis confirmat obligatio, quam Confessarius habet supplendi in Confessione, quod necessarium est ad illius validitatem. Nam talis siue obliuio, siue ignorantia, quæ de se culpabilis est, non excusat à mortali peccato: ideoque in tali casu Sacerdos obligatur (quem admodum loco citat. prop. 2. notat. Sotus) Penitentem instruere quidquid se quatur, id est, siue profici, siue obsequi admonitio; eumque informare de veritate, ut ea cognita respiciens conteratur de tali peccato, sicque legitime confiteatur. Quod si non faciat, & nihilominus absolutionem petat, peccat mortaliter (ut loco citat. §. Similiter docet Medina) peccato sacrilegij commissi contra Sacramenti sanctitatem, in eius notabilem iniuriam: sique Confessarius eam impendat, tanquam malè fungès Iudicis & Medici officio in re grauiissima, infideliterque dispensans Dei mysteria, peccat quoque mortaliter; nec absolutio valet.

43. Iam quod visum est quibusdam tunc Confessarium teneri quoque ad restitutionem, si peccatum fuerit commissum in damnum proximi, reijci poterit: quia Confessarius ex officio quod gerit, tenetur quidem lege iustitiæ consulere animæ penitentis sibi confitentis, sed aliorum bono consulere non tenetur, nisi de communi lege charitatis. Vnde si interegerit à Penitente, an restituere debeat, ipseque neget: tunc quidem tanquam cooperatores iniuriæ, tenetur ad restitutionem, sicut teneretur quilibet alius similiter interrogatus, si consuleret non restituere. Sed si Penitens nihil interroget, Confessarius ex eo solum quod audiat usurarium *verbi gratia*, & culpabiliter tacens, nihil eum de restitutione moneat, quamuis peccet contra charitatem, non tamen contra iustitiam: quia ex Officio quod gerit, non tenetur bono illius tertij, cui facienda est restitutio, ita consulere ut contra debitum iustitiæ agat, non admonendo faciendam esse restitutionem.

44. Secunda propositio est; Quæcumque sit ignorantia penitentis, si dubius de aliqua re interroget Confessarium, hunc teneri veritatem illi aperire, quantumcumque id nihil sit profuturum: pro qua plures auctores adfert Sanchez loco citat. num. 14. Ratio verò est: quia Penitentis conscientia sic læsa est illo dubio, ut ipse desinat esse in bona fide: rati- nitatemque Confessarij possit ipse interpretari in suam fauorem approbationem ve sui erroris. Veruntamen restringi posse videtur hæc ipsa propositio, ut non procedat quan-

do Penitens interrogat, non ut verè dubius, sed ut scrupulo agitur; quia per scrupulum (cum id sit dubium carens fundamento) non auferitur bona fides, & inuincibilis ignorantia: adeo ut Confessarius ad vitanda graua incommoda fecutura; possit tacere aut dicere, ut abiciat scrupulum. Ita habet Sanchez ibid.

45. Tertia propositio est. Quando Penitentis obliuio vel ignorantia fuerit inuincibilis, tenetur Confessarius illum admonere de eo quod ex tali obliuione vel ignorantia dicere prætermittit, si fructum vero similiter sperat ex facta informatione veritatis. Hanc Canus confirmat loco citato. Tum quia Confessor absoluit Penitentem errantem circa materiam peccati mortalis, & in omnibus paratum corrigi, opere suo errorem illius confirmat. Tum quia Confessarius quidem, ut Confessarius, Index tantum est & Medicus, qui munus suum circa peccatum (à quo excusat ignorantia inuincibilis) exercet: amen ut simul est proprius Sacerdos, & pastor ac doctor, infideliter ageret contra Magisterium sibi commissam, nisi errantem doceret, cum videamus Penitentes ad eum, tanquam ad Dei Vicarium accedere, non tantum ut absoluantur, sed etiam ut instruantur.

46. Quarta propositio est: cum nulla spes est Confessario, quod ex informatione veritatis profecturus sit Penitens, tunc satis esse in sua ignorantia eum relinquere, siue sit ignorantia iuris diuini, vel humani, siue ignorantia facti; & sit continuatum in damnum proximi, siue non. Pro hac plures citat Sanchez in eadem disputat. num. 6. & cum Nazarr. censet procedere non modo quoad peccatum commissum, & sed etiam quoad committendum, quando ipsum inuincibiliter ignoratur, nec spes est probabilis, quod is qui admittitur est illud, acquiescet abstinendo ab eo, si moneatur. Quod est (ut rem exemplo illustremus) in sua ignorantia inuincibili relinquendum esse, & eum qui matrimonium contraxit cum impedimento dirimente; & eum qui contracturus est quando probabiliter creditur, nihilominus in proposito perseueraturus. Ad id etiam Sanchez ibidem numero 17. & 18. procedere etiam si Confessarius illud de quo moneatur, sic sciret ut ipsum probare possit: item etiam si malum quod ex admonitione timetur secuturum, provenire deberet non ex infirmitate, sed ex malitia admoniti. Ad huius propositionis confirmationem Medina & Canus locis citatis adferunt dictum Diui Augustini, quod refertur in cap. si quis 2. de Penitent. distinct. 7. Si scirem nihil tibi prodesse, non te moneo, non te terterem. Itemque alterum, (quod ut rationi consecrarium vsurpatur à Theologis ex Salustio) frustra nitri, & nihil aliud laborando quam odium quærere, extremæ dementiæ est. Quibus accedit ratio eadem satis confirmas: quod nulla lex obligat ad actus inutiles & otiosos, qualis esset dicta admonitio, utpote quæ longè aberraret à fine, in quem ordinatur; qui est consecratis bonum: sicut & finis correptionis fraternæ, est bonum eius qui corrigitur.

Quod autem Arianus in contrarium adfert; ostendendo potius permitendum esse scandalum, quam omittendam veritatis declarationem: Canus admonet intelligendum esse de publico Doctore, cuius doctrina, licet alijs sit odor mortis in mortem, debet tamen tradi populo. Itaque doctrina quidem; quæ ad bonum publicum ordinatur, intermit- tenda non est, propter malum priuatum; sed doctrina quæ pro fine habet bonum priuatum: cessante tali fine, ipsa etiam cessare debet. Vnde consequens est cessare debere præfatam admonitionem, quando creditur non cessura in Confitentis bonum priuatum, quod illa pro fine habet: nisi ex illius ignorantia timeretur malum boni communis, quod præferendum est bono priuato. Id quod annotat Sanchez in cit. disput. 38. num. 15. in exemplum adfert: si Parochus ex ignorantia populum suum erroribus in fide, aut in moribus imbueret: aut publica fama esset de inualiditate matrimonij duorum cohabitantium.

Resolutio ex dictis de eo quod agendum est Confessario in quibusdam euentibus, ut censetur cum istiusmodi prudentia procedere.

### SECTIO II.

EX dictis, ut Canus subiungit, resoluitur facillè quid in multis euentibus Confessario agendum sit, ut cum isti-

usmodi prudentia cōseatur procedere, nempe si Berta nupsit Petro occulte non consummato matrimonio, deinde publice contraxit cum Ioanne, & consummauit, cum eoque manet bona fide inuincibiliter ignorans ius diuinum, per quod iterum est posterius matrimonium, propter prius valide contractum. Item si duo contraxerunt in 3. vel in 4. gradu affinitatis ignorantes inuincibiliter ius humanum quod prohibet: & reddit inualidum tale matrimonium. Item si bona fide Berta contraxerit matrimonium cum Petro, credens probabilibus argumentis, priorem suum maritum esse mortuum: ideoque laborans inuincibili ignorantia facti; puta nesciendo inuincibiliter, quod de facto idem prior maritus adhuc uiuat. Item si quis contractum usurarium fecit ignorans inuincibiliter talem esse, eo quod in illo sit usura palliata ualde occulta: ipseque viros doctos, & fide dignos adierit à quibus informaretur, & responsum accepit tale quod licitum sibi esse. Itaque in his omnibus & similibus prudenter, prout tenetur, ager Confessarius: si credens suum consilium profuturum, admoeat: sin minus, non admoeat: siue id sit in detrimentum proximi, siue non: & siue sit contra ius humanum, siue contra diuinum, inquit Canus, addens id intelligendum esse cum nec statim, nec postea fructus admonitionis sperat. Quam etiam doctrinam Medina, in citata quæst. 19. corol. posterius dictum, inculcat inquit. Si vero simile sit, quod confitens, si ei veritas quam inuincibiliter ignorat, notificetur, ita scandalizabitur quod nunquam finis notificationis eueniat: nempe quod propterea non recedet à peccato, nec proximo læso satisfaciet: Confessarium male agere informando illum de tal veritate, debere que sine tali informatione ipsum absolueret: ut si quis iudice in iudicio torquendus, putet omnino sibi licere veritatem negare ad liberandum se à morte & infamia, non est monendus, id ei illicitum esse: sed sufficet in vniuersum interrogare, an sit paratus mori, potius quam Deum offendere. Si enim Pœnitens non tenetur particulares comparationes sumere ad explorandam suam contritionem, multo minus tenetur Confessarius eas ab illo interrogare. Si autem scandalum quod timeret euenturum, moueat eum sit, ita ut tunc quidem non speretur fructus admonitionis: eum tamen breui secuturum spes sit, tenetur Pœnitentem ipsum informare de veritate quam ignorat. Pro qua doctrina Sanchez in cit. disput. num. 16. plures auctores referens, addit eum eodem Medina præstare monitionem fieri post absolutionem quam ante, ne ex perturbatione impediatur Sacramenti fructus. Constitutum sit ergo ex his, dum vtilitas & scandalum concurrunt: videndum esse, quod illorum præponderet: si que vtilitas præualeat sequenda est regula. Melius esse scandala permitti, quam veritatem deseri; sin scandalum sit maius seruanda est regula vitandi scandala. Addit adhuc Canus, si aliquid constaret fore ut Pœnitens moneatur ab alio Confessario, qui imprudenter medebitur illi malo, consultius esse ignorantem admonere; nisi adhibendam sit remedium intolerabile: prout censetur si exemplis supra positis addas, susceptos esse filios ex existimato matrimonio, diuinam cohabitationem, scandalum publicum, & similia: quo euentu, inquit Canus, nullus tam imprudens erit, quin præfens horreat periculum (perplexitatis nimirum, & difficultatis) in quod conijciuntur illi qui sunt in bona fide, occasionisque peccandijs, qui sunt in honore statu. Id quod alijs citatis Sanchez in preced. num. 7. ita verum esse vult, ut in eo casu Confessarius, nolentem reddere debitum coniugale, debeat ad id cogere, tanquam à peccato, ob ignorantiam inuincibilem, excusatum si reddat: & peccantem contra conscientiam, si non reddat. Neque mentietur dicendo illum esse suum coniugem, cum sit communi existimatione, sicut nec mentita est beata Virgo cum dixit Christo. Ecce pater tuus & ego dolentes quarebamus te: qui quamuis S. Ioseph. non esset vere pater Christi, erat tamen reputatione communi. Infert idem Sanchez in seq. num. 11. argumento à maiori quando Pœnitens sub lethali culpa tenetur ad aliquid adeo difficile, ut Confessarius credat ipsum tunc admonitionem recepturum non esse æquo animo: alias autem admissurum melius: hunc (Confessarium inquam) quamdiu Pœnitentem ipsum nouit excusari per ignorantiam inuincibilem, posse tacere, & in tempus opportunius admonitionem dif-

ferre: adeoque prudenter agere Confessarios illos qui non omnia ad quæ Pœnitentes tenentur, simul primaque vice aperiant, ne deterriti omnino abstineant à Confessione, sed paulatim doceant ipsos de ijs ad quæ tenentur. Quæ quidem in re opus est magna circumspectione, in eaque, ut plena periculi, implorandum serio diuinum auxilium.

Quando absolutioni sit præponenda admonitio, & quando postponenda  
SECTIO. III.

Ad eandem, de qua agimus prudentiam pertinet ut Confessarius aduertat, num Pœnitentis admonitionem differre debeat post absolutionem, an eidem præmittere. Si enim iuxta primam propositionem aucte traditam facienda sit ignorantia vincibiliter: dubium non est præmittendam esse absolutionem, quæ alioqui esset inualida. Sin iuxta secundam propositionem facienda sit ignorantia inuincibiliter, cum admonitio speratur profutura, obstruere oportet doctrinam Medina in cit. corollario, statuentis, si Confessario verosimile sit, quod si confitentem absoluet, priusquam de veritate eum informet, non proficiet ad finem retrahendum eum à peccato assueti: vel permouendi ad satisfaciendum proximo per ipsum læso: proficiet autem, si eum informet ante absolutionem: Confessorem ipsum antequam talem Pœnitentem absoluat, teneri de præfata veritate eum informare: & admonitum absolueret; si qui dem à tali peccato abstinere & proximo satisfacere promittat: aut saltem (quando Confessor talis fuerit cui tanquam minus peccato non tenetur confitens adhibere fidem) data fide quod faciet illud de quo admonetur, si ab alijs fide dignis edoctus fuerit, id sibi faciendum esse. Quod si neque hoc neque illud proponat, non est absolueudus: quia eum non vere pœnitet, obicemque ponit absolutioni; quæ si illi impendatur, erit nulla.

Addit quoque idem auctor, Confessorem si probabiliter iudicet confitentem inuincibili ignorantia laborantem, non cessaturum à peccato assueti, præsertim in præiudicium proximi continuato: neque eidem proximo læso satisfaciendum, nisi absolutio negetur, hacque negata recessurum à peccato & satisfaciendum; posse, atque etiam debere eam negare nolenti parere, postquam suus error sufficienti autoritate, aut ratione conuincente, demonstratus illi fuerit: quia se præbet indignum ipsa absolutione: cum in eo ignorantia inuincibilis cesset, veritate sufficienter ei ostensa. Quod tamen, ut idem etiam auctor admonet, tunc tantum procedit, cum taliter admonitus nullum subterfugium habet, quin ob demonstrationem veritatis ei factam teneatur sententia Confessoris adherere. Nam si excusationem aliquam habeat, qualis est quod ab alijs fide dignis oppositum audierit, exhibetque se paratum magis informati à viris doctis, eo nomine, quod non reputet se sufficientem ad soluendum motiuum à Confessore allatum, quod forte alij soluere sciunt: absolutio neganda non est parato facere omne illud ad quod se teneri conperit: quia cum veritas per tale motiuum non demonstratur ei satis euidenter, adhuc in sua ignorantia inuincibili perseverat: nisi esset persona simplex, quæ erret ex sua simplicitate, non autem ex eo quod male à viris alioqui doctis, & fide dignis informata sit: talis enim pro sua qualitate tenetur Confessori parere: quod nolens, culpabilis efficitur ipsius ignorantia, indignusque est quia absoluat. Hæc hæctenus Medina rationi consentanea.

Pertinet quinto ad eam de qua agimus Confessarij prudentiam, ut audita confessione aduertens aliquod omisissum esse à Pœnitente, quod oportuerit exprimi; antequam absoluat, examinet an talis omisissio sit ex ignorantia, an ex mera malitia: si que ex ignorantia esse deprehenderit, vtratur prout admonet Sotus in 4. dist. 18. quæst. 2. art. 4. sub finem acumine in perpendendo ex qualitate personæ quæ confitentur, & ex alijs coniecturis, num talis ignorantia qua peccatum aliquod in confessione prætermisissum est, crassa sit & quam confitens teneatur vincere, & iuxta antedicta, eum monent. Talis vero ignorantia maxima coniectura erit, ut bene monet Sanchez in cit. disput. 38. num. 3. si Pœnitens de bono suo statu dubiam conscientiam habere deprehendatur; non item si alias habuerit, & nunc se bonam habere demonstrat: quia fieri potest ut aliquos consulerit, qui conscientiam

ipſius ſedarint. Nec item coniectura eſt ſufficiens, quod confeſſeatur peccatum aliquod cui illud quod reticet, eſt conſe- quens; vt ſe cognouiſſe carnaliter fororem illius quam poſtea duxit in vxorem, vnde conſequens eſt matrimonium eſſe nullum: quia huiusmodi nullitas non ita ſequitur ex tali facto, quin cogito ipſum eſſe peccatum, poſſit inuincibiliter ignorari tale matrimonium eſſe, nullum, & facere copulam illicitam. Si verò deprehenderit omiſſionem eam eſſe ex malitia, nimirum quod Pœnitens velit reticere peccatum, curet quantum poteſt ne perperam det abſolutionem, laboreſque interrogationibus veri atem ex illius ore prudenter elicere: caueat autem indicare, ſe tale aliquid noſſe ex alia ſa confeſſione. Quod ſi omni quam poteſt adhiberi à diligentia, & induſtria, viderit ſe nihil proficere, geret ſe cum eo, tanquam cum indiſpoſito: de quo non abſolucendo dicitur in ſequenti parte cum de abſolutione. Exemplum huius rei eſſe poteſt, ſi Confeſſarius ſciat ſuum Pœnitentem acquiſiſſe beneficium per ſimoniam, aut pecuniam dediſſe ad vſuram, aut vti alicuius perſonæ turpi conſuetudine aut aliud mortale perpetrari, quod diſſimulat inter cōſtitendum, quia non vult malè accepta reſtituere, aut vitæ ſuæ turpitudinem veretur aperire, aut non ſtatuit eam emendare.

## CAPVT QVINTVM.

De Confeſſarii prudentia in disponendo Pœnitente ad contritionem, ſeu odium & deteſtationem ſuorum peccatorum.

## SVM MARI VM.

- 50 Confeſſario debet nota eſſe Pœnitentis contritio, antequam illum abſoluat.
- 51 Cum non oſtendente contritionem, qua ratione agendum ſit.
- 52 Qualis imperfecta contritio deprehensa in Pœnitente, ſufficere poſſit ad illius abſolutionem.
- 53 Signa contritionis ad abſolutionem ſufficientis.
- 54 De lachrymis.
- 55 De confeſſione amara.
- 56 De alaci pœnitentiã impoſita acceptatione.
- 57 De quibusdam aliis effectibus contritionis eam indicantibus.
- 58 De abnegatione ſui & deſiderio patiendi pro gloria Dei.
- 59 Manire debet ſe precibus Confeſſarius diſpoſiturus Pœnitentem ad contritionem.
- 60 Peccati indignitas naturalis.
- 61 Indignitas peccati ex inobedientia erga Deum.
- 62 Indignitas peccati ex odio quo Deus illud proſequitur.
- 63 Indignitas peccati ex abuſu diuina erga nos bonitatis eoque tali, vt Chriſto Damon antepoſatur.
- 64 Indignitas ex Dei perfeſſione, & noſtra nequitia.
- 65 Et quem indignitas peccati nõ mouet, ad eiuſdem odium, inculcanda eſt diuina iuſtitia ſeu iuſtitia, & quomodo.
- 66 Peccator abſolutio: Dei patientia, iram illius accendit.
- 67 Cum ſeueritate diuina iuſtitia, iuncta eſt benignitas Dei vocantis nos ad pœnitentiam.
- 68 Per peccatum mortale iacturam facimus præteritorum meritorum, ſpecialis fauoris, quo Deus amicos ſuos proſequi ſolet.
- 69 Idem calum nobis claudat, & Spiritum adoptionis filiorum Dei à nobis excludat.
- 70 Itemque ſpoliat diuinã gratiã, & charitate ac Spiritus ſancti donis virtutibus que eam ſequentibus.
- 71 Miſeria maxima exiſtens in mortali peccato.
- 72 Plage per mortale peccatum inſtiguntur anima, primò corruptionis in ſubſtantia 2. caritatis in mente 3. obliuionis Dei in memoria. 4. peruerſitatis in voluntate. 5. debilitationis in facultatibus exequentibus. 6. infirmitatis in corpore.
- 73 De ratione qua poteſt ex his Pœnitens diſponi ad contritionem.
- 74 Debita eterna damnationis, qua per peccatum mortale contrahuntur.
- 75 Quam horrenda pœne inferni ad quas peccatum mortale addit.
- 76 Diſpoſitio Pœnitentis ad contritionem, conſideratione miſeria dænaturorum.
- 77 Diuites nolentis conteri, eſt opus Diaboli: non Dei, vel natura.
- P**recipui momenti eſt hæc prudentia, qua præ cæteris, vt fruſtuoſe exerceatur, requirit in Confeſſario

illa qua ad ipſius bonitatem ſpectare ex D. Bernardo retulimus in præcedenti libro cap. decimoquarto ſect. prima: quoniam contritio in primis eſt, per quam peccator ſpiritali vitæ reſtituitur, & cui tanquam fundamento ſuperſtruntur cætera, quæ ſpectant ad legitimum Sacramenti Pœnitentiæ vltim. Cum autem ea duo includat (expreſſa in ipſius definitione propoſita à Concil. Tridentin. ſeſſ. 14. cap. 4.) nempe deteſtationem peccati, & propoſitum emendationis vitæ: in præſentiarum hærebimus poſſimum in ijs perſequendis, quæ poſſunt Pœnitentem diſponere ad contritionem vt continet peccati commiſſi deteſtationem: poſtea perſecuturi quæ faciunt ad propoſitum emendationis. Diuidemus autem caput hoc aliquot ſectionibus: in prima dicitur de ratione cognoscendi, an Pœnitens ſit ad abſolutionem obtinendam ſufficienter contritus: in ſecunda ſigna contritionis proponuntur: in reliquis adferentur motiua ad contritionem.

De ratione cognoscendi, An in Pœnitente ſit contritio ad abſolutionem ſacramentalem ſufficiens.

## • SECTIO I.

**P**ertinet primò ad propoſitam prudentiam, vt Confeſſarius non proferat temere abſolutionem, quando ex cōfeſſione Pœnitentis non deprehendit in eo contritionem ſufficientem ad illam et impendendam: nec enim præceſſiſſe, ideo præſumere debet (quidquid aliud dixerit Ioannes Maior, referente Nauarr. in Enchir. cap. 1. num. 41.) quod nemo ſit adeo imprudens, qui quo tempore ſua peccata ſacramentaliter confeſſetur, illa non deteſtetur ſaltem virtualiter. Tale enim fundamentum non eſſe fatiſ firmum Nauarr. ipſe oſtendit; quia ſequeretur alioqui quemlibet ſacramentaliter confeſſentem habere iuſtam contritionem: quod aduerſatur communi doctrinæ de inualiditate confeſſionis ſacramentalis ex defectu contritionis: nam nullus alioqui talis defectus contingeret. Immo aduerſatur Concilio Tridentin. ſeſſ. 6. cap. 14. quod ad iuſtificationem peccatoris præter confeſſionem & abſolutionem Sacerdotalem ac ceſſationem à peccatis, requirit horum deteſtationem, ſeu contritum & humiliatum. Et in ſeſſ. 14. cap. 4. ait, nuſquam Eccleſiam docuiſſe: ne ceſſiſſe Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium conferre gratiam, qui bonus motus eſt, contritio, de qua in eodem cap. ex inſtituto agitur: & ſine qua Sacramentum Pœnitentiæ nullum eſſe conſtat, cum ſit eius pars eſſentialis.

Si ergo iudicauerit Confeſſarius ſuum Pœnitentem non oſtendere contritionem ſufficientem ad abſolutionem: vt quia parui facit donum Pœnitentiæ, non curans ille dā Deo petere; vel non ſtatuit firmiter ſtatui peccati deferere, aut occaſiones propinquas peccandi à ſe remouere; aut paratus eſt animo, malitè peccare mortaliter, quam damnatum aliquod ſuſtinere, vel alicui non obſequi, etiam in illicitis: aut demum recuſet inimico reconciliari, aut aliud agere ad quod tenetur ſub mortali. Si, inquam, quid tale iudicauerit, poterit ipſi Pœnitenti proponere ad confeſſionem fruſtuoſam requiri, vt ſua illa peccata ſic deteſtetur tanquam Dei offenſas, vt generaliter malit in quodcumque malum incurriſſe, quam in peccatum, quo Deum ſummum omnium bonum à ſe alienauit; eumque ſibi de patre amantiſſimo ac miſericordiſſimo fecit inimicum, & ſupra quam dici poteſt reddidit iratum: Cauere autem debet Confeſſarius nimium aggravare peccata quæ in confeſſione audit aut reprehentionibus tertere Pœnitentem, maxime ſi talis eſt, qui propter verecundiam aut timorem aliquid eorum quæ commiſit taciturnus videatur: ſed potius compaſſione benignè oſtenſa, eum animare ſecundum antedicta num. 10. ad ſincerè dicenda omnia quæ conſcientiam ipſius grauant. Etenim vbi aduerſit animus reticendi aliquid neceſſarium, nulla poteſt ad eſſe contritio ad Sacramentum ſufficiens.

Admonet vero Sotus in 4. diſt. 8. quæſt. 3. art. 3. paulo ante ſolutionem argumentorum: non eſſe quod Confeſſarius multum laboreſ in diſcutiendo, An Pœnitentes plebej adferant contritionem perfectam, dolendo de peccatis ſuis ex puro Dei amore: an verò tantum imperfectam ex ſeruili timore. Id enim cognitum difficillimum eſt, nec neceſſarium ad abſolu-

tionem non conferendam temere, dummodo conlterit eam esse propter Deum, cuius amicitiam tanti faciunt, vt pro nulla re, à se læsam velint: atque adeo auerlentur peccatum supra omne malum: ad instar scilicet castæ coniugis, quæ pro amore quo complectitur virum suum, mallet quæcumque mala experiri potius, quam ei datam fidem, prostituitur e sui corporis frangere: a quo Confessarius debet animum illis addere per post dicenda.

Quod si videat se non posse animum ipsorum ad tam excellentem contritionis gradum attollere, conetur saltem ad hoc inducere, vt ipsi vere propter Deum; doleant se talem contritionem non habere: quia id sufficit, saltem ad eam imperfectam contritionem, cum qua sacramentaliter absolui possint, tanquam valentes illud ex Psal. 118. v. 17. usurpare. Concupiuit anima mea desiderare iustificationes tuas in omni tempore. ] Ita Navar. in Enchir. cap. 1. n. 21. habet ex Paludano. Immo (vt ipse addit, ex omnium Theologorum sententia) explicatque in nu. 22. idem inculcans in nu. 23. & in cap. 10. n. 4. Ac pro eo facit illud Psal. 9. Desiderium pauperum exaudiuit Dominus, præparationem cordis eorum exaudiuit auris tua. ] Aduerte tamen id non procedere, nisi talis doloris causa sit peccati desertio efficax, seu qua peccatum omnino displiceat: ita vt firmum propositum habeatur nullo modo illud committendi de cætero: tale quid enim necessarium esse ad validitatem Sacramenti Pœnitentiæ, constat per illud quod ex Concil. Trident. sess. 18. cap. 4. ad talem validitatem, requiritur saltem attritio, quæ voluntatem peccandi excludat: per propositum scilicet non peccandi de cætero eidem voluntati positivè repugnans (quale in initio eiusdem capituli expressum censetur in definitione contritionis) non autem per nudam cessationem ab ipsa voluntate peccandi, repugnantem ei solummodo negativè, neque sufficientem ad eliminationem peccati mortalis ab anima, in qua cum tali cessatione, illud perseverare nihil obstat. Hoc ipsum Suarez. notat tomo 4. disput. 20. sect. 2. num. 6.

De signis contritionis ad obviendam absolutionem sufficientis.

#### SECTIO. II.

53. **P**orro animi ad prædictum contritionis gradum eleuati hæc signa esse possunt.

Primum veram Pœnitentiam magnificare, eam vehementer desiderare, assiduis precibus à Deo petere ac dolere si eam non sentias.

Secundum est summo odio prosequi peccatum, & maiori, quam vilius aliud malum; atque adeo malle mori, & aliquid quouis malum pati, quam peccare.

54. Tertium est effusio lachrymarum, quæ etsi non sit necessaria ad contritionem (quod notat Navar. in Enchir. cap. primo num. 23. illam tamen nonnunquam ita sequitur, vt sicut vitis iudicatur viva, quando præcisâ emittit lachrymas, sic Pœnitens iudicatur vitam spiritualem inchoasse per contritionem, cum lachrymas effundit ex dolore de peccatis, prout sunt offensa Dei dummodo coniunctum habeat propositum non peccandi de cætero iuxta illud sponsa Cant. 5. Laui pedes meos, quomodo inquinabo eos? & illud ad Rom. 6. Qui mortui sumus peccato, quomodo adhuc vivemus in illo? Cuius coniunctionis necessitas, habetur ex cap. Pœnitentiam. De Pœnitent. distinct. 3. cum dicitur: Pœnitentiam agere, esse perpetrata mala plangere & plangenda non perpetrare. ] Sicut enim sola aqua munda purgat vestium sordem, sic dolor mundans animam à peccatis, est is solus quo quis toto corde dolet de ipsâ peccatis, firmiter proponens ad ea non redire iuvante Dei auxilio. Aqua enim lutosa, est non mundans sed inquinans; cum quis flendo peccata præterita, admittet propositum redeundi ad vomitum, vel non vitandi occasiones peccatorum. Qui solet comparari lauantem lacerem crudum, quanto enim magis lauat, tanto magis lutosum facit. Vnde ex cap. Irrisor. de Pœnitent. distinct. 3. Irrisor est, non Pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet: nec videtur Deum poscere subditus, sed sublarare superbus: canis reuersus ad suum vomitum, est Pœnitens ad peccatum. ] Item ex cap. sequenti: Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat, nihil profunt lamenta si replicantur peccata. ] Aduerte obiter lachrymas emittere, ideo non esse cer-

tum contritionis signum: nec lachrymas, non emit tere, signum esse impœnitentiæ: quia istud euenire potest ex dura corporis constitutione; & illud ex tenera & facili: præsertim in pueris & feminis.

Quartum signum est amara confessio, qualem significant verba Iob cap. 10. Dimitam aduersum me eloquium meum loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo noli me condemnare. ] & Isaiæ 38. Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ. ] & Ierem. 2. Scito & vide quia malum & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem me apud te. ] & cap. 6. Luctum vngenti fac tibi plaudium amarum. ] Provenit enim talis amaritudo (tanquam spirituales lachrymæ) ex contritione quæ à Pœnitente concipitur, considerata peccati perpetrati nequitia. Nam peccator Deo vocatus, ac mentem eius illuminante, aduentens vna ex parte ad suam nequitiam: qua mala pro nobis Deo retribuit: donis ab obsequium ipsius acceptis, indignissime (prout ostendit dicenda in sequent. sect.) habendo ad ipsius offensam. Ex altera parte vero expendens diuitias bonitatis, longanimitatis, & benignitatis diuinæ erga se immundum vas iræ, suffunditur pudore sui, & accenditur Dei amore, vnde sequitur dolor de ipsius offensa; qui aliquando redundans in in sensus, excitat exteriores lachrymas, quas constitutum contritionis signum: & quæ confessionem in peccatorum faciunt amarant.

56. Quintum signum est alacris Pœnitentiæ impostæ susceptio; verus enim interior dolor de peccato compellit peccatorem omnia libenter sufferre. e. cap. Perfecta De Pœnitent. distinct. 3. Vbi aduerte pronon contrito habendum omnino esse eum qui pœnitentiam medicinalitè & ad salutem necessariam admittit non vult; vt si noluit vitare personam, que illi causa est ruine; aut relinquere beneficium si moniacè obtinuit: aut restituere acceptas viuitas, aut restitue iniuriam illa am proximo: satis enim per hæc ostendit se non dolere propter Deum omnibus rebus preferendum; in cuius amore summo consistit vitæ animæ: sicut necis ostendit se firmum emendationis propositum habere, qui non est animo paratus acquiescere sanis Confessarij consilijs, & assumere præscripta remedia aduersus morbos animi, malas inclinationes, prauos habitus, ac diuinam peccandi consuetudinem. Et certe qui non facit pro vitanda morte animæ quod faceret pro vitanda morte corporis, ostendit se plus diligere suum corpus quam animam suam: & plus vitam carnalem, quam spiritalem, & plus creaturam quam Creatorem. Quis enim expositus aperiè mortis periculo, si ei dicat Medicus infallibiliter morieris, nisi te iunes in Quadragesima, aut nisi diebus Veneris & Sabbati à carnibus abstineas, recuset id facere? Similiter si Index dicat alicui: pro certo suspenderis, nisi restituas alienum quod regines. Aut si dicat: nisi relinquant concubinam, vterque ignominiose ducti per vrbem, agimini in crucem. At mors æterna à Christo denunciat reuolantibus prædictas pœnitentias. Per illud Luc. 13. Nisi pœnitentiam habueritis omnes similiter peribitis. ] Cum gaudio ergo debet face, immortalis futurus, quæ faceret pro differenda morte, moriturus.

57. Sex tum signum, sunt quedam esse & propria ipsius contritionis, vt quod Pœnitens confitetur quam bene potest, quo tunc studet vitare peccata, & occasiones peccatorum: puta malas societates, loca suspecta, incautos aspectus, verba inordinata, & similia: quibus si facta confessione, deleatur, seque implicet sicut prius non ostendit se satis contritum: & multo minus si aliena non restituat cum potest, si pœnitentias impostas implere negligat: si æque ac prius tandem ea quæ Dei sunt, & ad suam salutem spectant se inueniat: si cum iis à quibus dissidet, loqui, aut amanter conuersari renuit, si concubinam ex toto à se non abiecit, & similia à vere contrito aliena. Pertinet etiam maximè ad hoc ipsum signum, si iuxta Diui Ioan. Baptiste præscriptum Matth. 3. Pœnitens faciat fructum dignum Pœnitentiæ: exercendo actus virtutum contrarios peccatis, in quibus prius obfudit: ita vt qui (iuxta Apostolum ad Rom. 6.) antea exhibuit membra sua seruire impuditiæ & iniquitati ad iniquitatem, is nunc exhibeat membra sua seruire iustitiæ in sanctificationem. ] Pertinet similiter iniuriarum ab alijs acceptarum liberalis condonatio, & sitis quedam conuertendi alios, & procurandi eorum salutem, præsertim complectum, seu soc-

ciorum sui peccati: dummodo id fiat euitando animæ pro-  
pria pericula.

58. Septimum signum est, sibi vilescere, & teneri magno desiderio patiendi propter Deum à se offensum. Talia enim comitari contritionem inde intelligitur, quod per hanc, ad salutis viam, per peccatum derelictam, reuertamur. Illa autem sunt, eiusdem viæ quasi vestibulum, iuxta verba Domini Matth. 16. & Luc. 9. Qui vult venire post me, abneget semetipsum, tollat Crucem suam, & sequatur me. Nam se qui Christum est viam salutis tenere: ad quod præcigitur abnegatio sui, & voluntaria tolerantia aduersorum, prout eadem verba aperte indicant.

Iam confessarius ex eo arbitrari poterit Pœnitentem seipsum abnegare, sibi vilescere, quod illum experientur facilem ac tractabilem, & paratum se submittere, non tantum suis Superioribus; sed etiam paribus; immo & inferioribus, si opus sit ad gloriam Dei; neque erubescit eam homines abnegando se propter Deum: exemplo Sancti peccatricis Luc. 7. quæ recumbente Domino in domo Pharisei, venit & stans retro secus pedes ipsius, cepit eos lachrymis rigare & capillis suis tergere, & osculari. Item sua peccata nec velantem artificio verborum, nec grauari sed voluntariè, præmissa diligenti examinatione conscientia, aperientem: nec excusatione dimittentem, sed potius candidè explicantem alacriterque patefacientem, & cum accusatione sui exaggerantem, tanquam qui possit cum Manasse (ex sine Paralip.) dicere Peccavi super numerum arena maris & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem cœli præ multitudinem iniquitatis meæ.]

Desiderio vero magno patiendi teneri existimare poterit, si sit petat iniungi sibi bonam pœnitentiam; aut si ad impostam implendam se promptum ostendat, ac libentissimè præscripta remedia aduersus peccandi occasiones admittat: paratus tamen se gerere in pugna in eunda aduersus propriam concupiscentiam, quæ cum conceperit parit peccatum.] Iacobis. atque adeo subtrahere sibi incunda & vilia, & assumere contraria, exemplo Christi præuentis: in quo qui dicit se manere, debet sicut ille ambulauit, &iple ambulare.]

1. Ioan. 2.

Illud monendum est obiter, quod sæpius relabi in idem peccatum, aut non admittere grauem & difficilem pœnitentiam sibi à Confessario iniungendam vel iniunctam non impleuisse, argumenta potius sint fragilitatis & imbecillitatis, aut desuetudinis exercendi opera pœnalia & difficilia, quam impœnitentiæ. In quam sententiam Petrus à Soto in Infiti Sacerd. de perfectione contritionis, lect. 17. sub finem. Qui vitam, inquit, ita instituit, vt à consuetudine peccandi & facilitate se cohibeat: quamquam non nunquam labatur, etiam in mortalia, etiam aliquando frequentius: modo non pro nihilo ducat non contemnere pœnitentiam, vel posthabeat, satis mutasse vitam videri potest; modo conerit in hoc proficere, quod omni Christiano quidem, sed Pœnitenti putamus maxime necessarium.]

De ratione disponendi ad contritionem durum corde; ac primo ex indignitate peccati.

### SECTIO III.

59. Pœnitentem secundo ad propositam Confessarij prudentiam: vt cum Pœnitentem suum deprehenderit sine contritione, durumque esse, studeat illum emollire, seu disponere ad odium & detestationem peccatorum suorum, tanquam ad prioris contritionis partem: cui ad complementum totius, debet accedere propositum non peccandi de cætero.

Quo in negotio Confessarius ipse recurrere debet ad Christi auxilium, tam sibi, quam pœnitenti humiliter implorandum: quia nemo corrigere potest quem ille despexit. [Ecclesiastus cap. 7. Et neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.] 1. Corinth. 3. Atque fretus spe bona talis auxilij, adhibere motiua ad tale negotium accommodata; quæ sunt indignitas, & perniciosa peccati. Naturaliter enim, vt apprehensa rei dignitate & villitate, amor illius & desiderium in voluntate excitatur; sic & apprehensa indignitate & perniciosa, excitatur odium & detestatio illius. Iam peccati, præsertim mortalis, indignitas; & secundum se, & secundum omne circumstantiarum genus,

facile apprehenditur, sequentibus perpenfis; & ideo Pœnitenti duro suauius, & cum affectu compassionis inculcandis, ad ipsius emollitionem.

Primum est eiusdem peccati conditio naturalis, qua est quoddam naturæ monstrum tum terribilimum sua pernicie de qua postea: tum turpissimum sua imperfectione, quæ tanta est vt ipsum perfectionis non modo expers sit, sed etiam omnino incapax. Quæ enim directe contrarium est Deo; qui seipsum negare non potest ex posteriori ad Timoth. 2. cap. nihil perfectionis ab eo potest accipere: nulla autem perfectio est nisi accepta à Deo, ex quo, per quem, & in quo sunt omnia.] ad Rom. 11. Vnde patet peccatum sua naturâ, non tantum à Deo, sed etiam ab omnium creaturarum societate alienum esse nihilque eo indignius turpius & vilius, cogitari posse; nisi statim peccatoris excipias, eo nomine, quod eiusdem peccati seruus sit iuxta illud Ioannis 8. Omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.]

Secundum est, quod peccatum Deo negetur obedientia debita: quod quantæ indignitatis sit, patet ex eo, quod sit quasi velle de ipsius manibus eripere sceptrum summi quod habet vniuersalissimique imperij atque adeo velle (quæ doctrina est D. Bernar. serm. 3. in tempore resurrectionis.) ipsum quasi de medio tollere, cum Deus esse non possit, sine summa supra omne quod est, dignitate & imperio. Ipsum inquam, qui Princeps est maiestatis infinitæ, tantopere de nobis bene meritis; & multo verius Pater noster, quam illi qui nos carnaliter genuerunt: cum solus animam contulerit, illique ad corporis fornicationem tam parum contulerint: vt ea quoque Deo ipsi absolute tribuatur Job 10. cum dicitur, Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu.] Et 2. Machab. cap. 7. cum Mater sancta, Sanctis filijs ait Neque spiritum & animam donauit vobis & vitam, & singulorum membra non ego ipsa comegi, sed mundi Creator qui formauit hominis natiuitatem. Hinc Matth. 23. ait Dominus Nolite vocare vobis patrem super terram, vnus enim est pater vester qui in cœlis est.] Adde quoque sponsum esse, qui sponsam seruituri addidit: turpissimi immanissimique Tyranni Dæmonis, ac supplicio ignis inferni cruciandam, sibi sociari, vt assereret in libertatem filiorum Dei & regni cœlorum faceret consortem. Sicigitur peccatum habet indignitatem; tum reatus læsæ diuinæ maiestatis; tum ingratitudinis infinitæ; tum etiam nefandi patricidij & adulterij atque adeo indignitatem maiorem, quam possit cogitari, propter rebellionem, quæ in eo patrandi exercetur, aduersus tantæ liberalitatis dominum, tantæque bonitatis patrem; ac tantæ maiestatis sponsam; idque ab homine vilissimo; qui breui vigens tempore repletur multis miserijs Job 14. Nihilque habet vel habere potest quin acceperit ab eo quem offendit: iuxta illud prioris ad Corinth. 4. cap. Quid habes quod non accepisti?]

Tertium est, odium grauissimum, quo Deus semper est profecutus peccatum: seuerissimis legibus illud verans, & pœnis grauissimis puniens illius reos: vt patet ex Angelis malis, primo parente & ijs qui perierunt in diluuiio, & in incendio Sodomæ, finitimarumque ciuitatum, ac de ijs demum qui igne æterno cruciantur apud inferos. Adde & pœnas quas voluit Christum perferre, ob in se suscepras iniquitates nostras: etiam si vnicus ac dilectissimus esset filius, innocens, impolutus, & segregatus à peccatoribus [ad Hebr. 7. Certe constat indignissimum esse, non tantum contrarietate potentia, sed etiam nolle se accommodare voluntati. Tum Domini tantæ maiestatis: qui & nos ad obsequium suum condidit: iuxta illud Proverb. 16. Vniuersa propter seipsum operatus Dominus] atque venundatos sub peccato redemit non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati & incontaminati Christi.] Pet. 1. immo & seruos inuitiles conduxit mercede æternæ beatitudinis. Tum etiam patris de nostra salute adeo solliciti vt carne sanctissima eiusdem Christi veri Dei & hominis nos pasci voluerit. Tum denique sponsi tam beneuoli, vt nos dotarit suo Sancto Spiritu: iuxta illud ad Rom. 5. Charitas Dei diffusa in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.] Pudeat nos iustam causam dedisse antiquis illis querimonijs Isaiæ 1. Filios enutriti & exaltaui, ipsi autem spreuerunt me. Cognouit bos possessorem suum; & as-

mus praeſepe domini ſui : Iſrael autem me non cognouit & populus meus non intellexit. Vae genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſcleratis. ] *Et cap. 5. Quid eſt quod ultra potui facere vineae meae & non feci ei? An quod expeſtaui vt faceret vinas, fecit autem labruſcas? ] & *Ierem. 2. Duo mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquae viuae, & foderunt ſibi cisternas diſſipatas, quae continere non valent aquas. ]**

63. Quartum eſt, beneficium Dei vbique praefentis, nos ſuſtinentis, ſuaque in nobis dona conſeruantis, & noua ſubinde conferentis; quo perpenſo cognofcitur ( quod valde indignum eſt ) ante ipſius videntis & reclamantis oculos peccando, nos inferre illi iniuriam eius generis, cuius eſt, ſi ſeruis ampliffima mercede conſuctus à Domino ad ſuum obſequium, plurimique muneribus auctus liberaliffime, iſſe de m ipſo vidente abuteretur ad illum offendendum : aut inſans inſirmus, à patre amantiffimè ſuſtentatus, gladium quem in ſua poteſtate habet ( vt nos habemus noſtram voluntatem ) in euſdem patris pectus adigere impius conaretur. Vnde rurfus antiquis querimonijſ datur occaſio, *Ierem. 18. Numquid redditur pro bono malum quia foderunt foueam animae meae? ] Et ad *Hebr. 6. Rurfus crucifigentes ſibi metipſis filium Dei, & oſtentui habentes. ]**

Quintum eſt, brevis haec vita noſtra, quam agimus ſuper terram conſtituti inter caelum, ſedem Chriſti, Sanctorumque omnium & infernum, ergaſtulum Demoniſ, & omnium ſcleratorum : atque alleſti & attractum à Chriſto ad tenendam viam ſalutis obſeruatiſ mandatorum : tum à Dæmone ad ſequendam viam perditionis, eorumdem mandatorum tranſgreſſione: peccantes mortaliter, nos gerimus ac ſi conſtituti iudices, cui adhærere praeter, Chriſto an Dæmoniſ; Dæmonem praefertimus Chriſto, ad illum conuerſi, & ab hoc auerſi. Quod quam indignum ſit patet ex expoſitione, quae ideo poteſt Chriſto fieri à Dæmone: nimirum, quod illum pro quo ſaluando carnem humanam ipſe ſuſcepit; & tam multa tum egit, tum paſſus eſt in ea: quemque tot donis diuinis ad hoc locupletauit, vt ſuam in caelo ruinam repararet, habeat ſuo obſequio non coactum ſed volentem mancipatum.

Ad iſtud attende anima, quae redempta lautaque Chriſti ſanguine, caractere ipſius inſignita, deſponſata fide, & ab eo dotata Sancto Spiritu; quae coram tanto ſponſo ] ſpecioſo praefilijs hominum ] abominabilis per peccatum efficeris, tanquam denigrata ſuper carbones ]. Time peccator, eum cui millia millium Angelorum miniſtrant, & decies millies centena millia aſſiſtunt: Qui quidem Angeli illud *Ierem. 3. tibi merito exprobrent: Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubere ]* qui que pro eo quo ardent diuini honoris zelo, te tanquam vitæ indignum male muldarent, ſi Chriſtus ipſe permitteret : Ita vt illud *Threnorum 3. vſurpare debeas, Miſericordiae Domini quod non ſumus conſumpti, quia non defecerunt miſerationes eius. ]* Ad tam bonum igitur Dominum conuertere humiliter petens cum Dauide *Pſal. 12. Vſquequo exaltabit inimicus meus ſuper me, reſpice & exaudi me Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus praevalui aduerſus eum. ]*

64. Sextum eſt infinita Dei maietas & perfectio, contra quam homo, terra & cinis peccando ſuperbit: quo nihil poteſt cogitari indignius: praefertim cum ille contra quem peccatur, Dominus ſit, cui timor; & pater, cui honor omnis debetur. Hinc illa querimonia aduerſus peccantes *Malach. 1. Si pater ego ſum, vbi eſt honor meus; & ſi Dominus ego ſum vbi eſt timor meus? ]*

Postremum eſt noſtra nequitia in eum: in quo viuimus, mouemur, & ſumus. ] *Ad. 17. qui que peccata nobis remiſit, gratiam contulit, vitam æternam promiſit, & de cuius ſolius munere venit quidquid boni, ſiue animae, ſiue corporis obtinemus : & quidquid mali, cui obnoxij ſumus, euadimus. Iodigniffimum enim eſt eam nequitiam tantam eſſe, vt ſummum benefactorum noſtrum varijs partibus, membrifve noſtris offendamus, non vno tantum, ſed multiplici peccatorum genere : non ſemel aut bis, ſed multoties, idque leniffimas plerumque ob cauſas, atque adeo ſponte; neque ad id multum ſtimulati : immo quaſi per ludum ac io-*

eum. Quem non pudeat obnoxium eſſe illi obſurgationi Moſis *Deut. 32. Hæcine reddis Domino popule ſtulte & inſipiens; numquid non ipſe eſt pater tuus, qui poſſedit te, & fecit & creauit te. Deum qui te genuit dereliquiſti, & oblitus es Domini Creatoris tui. ]* Guſta anima Chriſtiana, & vide quam ſuauiſ ſit Chriſtus tuus: qui dilexit te charitate perpetua, & ideo attraxit te miſerans tui ] *Ierem. 31. A deo que naſcendo in ſtabulo, dans ſe tibi in ſocium : diſcipulis conueſcendo in cœna, tradens ſe in cibum : moriens in cruce, tradens ſe in pretium; & denique in caelo ad dexteram Patris ſedens, traditurus ſe in præmium. Amantem igitur nos, redamemus, nec recedamus à Deo ſalutari noſtro : quo nihil melius occurrere poteſt. ]* Diuites enim egerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non inueniunt omni bono, ] *Pſal. 33. Exaltatum à terra vt nos ad ſe traheret, in cruce mortuum pro peccatis noſtris conſideremus: indeque ad eorum deſertationem excitemus nos ne tantæ bonitatis diuitias contemntes, theſaurizemus nobis iram in die iræ iuſti iudicij Dei, iuxta Apoſtolum ad Roman.*

De eadem ratione ex ſeueritate diuina iuſtitia.

SECTIO. IV.

65. Quando notatum fuerit non ſufficere alicui antea ad concipiendum peccati odium, ideoque ipſum non eſſe de illorum numero qui oderunt peccare virtutis amore: ſed potius de aliorum, qui oderunt peccare formidine peccata. Pertinet tertio ad Confessarii prudentiam tali inculcare diuinæ iuſtitiae ſeueritatem; qua iniuriam per peccatum ſibi illatam Deus vlcifcitur; propoſitis nimirum iudicijſ ſeueris; quæ omnipotens exercuit in Luciferum, & ceteros Angelos peccantes; quibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, ] *2. Per. 2. Deinde in primos noſtros parentes, quos ex Paradifo voluptatis expulſos, vitam laboribus & moleſtijs plenam, ac morbis mortique obnoxiam agere fecit Gen. 3. qualem & noſ illius miſeriz hæredes agere patet experientia. Præterea quomodo aquis ſuffocauerit omnes homines, exceptis quatuor viris & totidem ſœminis, tempore Noë Gen. 7. Atque igne conſumptis Sodomam & ſinitimas ciuitates tempore Abrahæ Gen. 18. Item terra dehiſcente viuos in infernum protulerit Dathan, Core, & Abiron tempore Moſis, Num. 16. Atque immiſſa peſtilentia in Iſrael tempore Davidis propter ipſius peccatum, extinxerit ſeptuaginta millia virorum, 2. Reg. 24. multa que alia eius generis fecerit, quæ tum in ſacris literis, tum in alijs hiſtorijs commemorantur, aut etiam quotidiana experientia cognofcuntur : accommodanda ad peccata ſimilia quibus Penitens ſe inquinauerit : vt gendo ob ea merito ſimilem aliquem miſerum vitæ exitum ſibi timere debere eodem iuſto Iudice Deo, qui non eſt perſonarum acceptor, vt ſæpius repetitum habetur in ſacris literis Deut. 10. 2. Paral. 19. ad Roman. 2. ad Ephes. 6. ad Colloſ. 3. 1. Pet. 1. Apoc. 10. Quæ repetitio aperte indicat id, & eſſe pro certiffimo documento tenendum, & frequenter eſſe ad memoriam reuocandum:*

66. Nec quemquam fallere debet, quod Deus infinita ſua bonitate tale ſupplicium inferre miſericorditer taret: quia talem tarditatem grauitate ſupplicijſ compenſat, iuxta illud *Eccleſiaſticus 5. Ne dixeris peccati, & quid mihi accidit triſte, Altiffimus enim eſt patiens redditor: ]* & illud *ad Rom. 2. Benignitas Dei ad poenitentiam te adducit, ſecundum autem duritiem tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius: ]* Illam enim iram ſupra quam dici vel cogitari poteſt, accendit peccatoris indurati ingratiſtudo, qua leniſſimam ac momentaneam, quæ ex peccato percipitur, voluptatem, & antepoſuit, & pergit anteponeſe amicitia Dei: quod quidem pueret committere erga quemcumque hominem, qui beneficia ſine comparatione minoram quam ille contuſſet: nec, vt ille, poſſet illatam ſibi iniuriam punire æterno ] qui Diabolo & Angelis eius paratus eſt ] igne, omnium timendorum maximè timendo iuxta illud *Matth. 10. Nolite timere qui occidunt corpus, &c. Sed potius timete eum qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. ]* Certe non fallit Apoſtolum *ad Heb. 10. dicens, horrendum eſſe incidere in manus Dei viuentis ]* nec falle-



bat Iob vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo (vt describitur initio hystoriae ipsius) cum verebatur omnia sua opera, sciens quod Deus non parceret delinquenti] *ex cap. 9. eiusdem hystoriae*: Et cum semper quasi timentes super se fluctus sic timuit Deum] *ex sequenti cap. 31.* Quam igitur nequam sibi est, qui negligit audire Sapientis saluberrimum monitum *Eclesiastici 30.* Miserere animae tuae placens Deo; & contine, & congrega cor tuum in sanctitate eius.] Nam *ex 1. Petri cap. 4.* Si vix iustus saluabitur, impius & peccator vbi parebunt?]

Cum diuina iustitiae seueritate magna benignitas coniuncta. §. Vnicus.

67. **I**Am cum tanta seueritate, quanta sit Dei benignitas, ad penitentiam nos adducendis ex his patet, quae simul inculcanda sunt Penitenti, tum vt eis ex terrore ad amorem inducatur Dei, sicut filium inducitur in coram tractatione facta ex cap. sicut fera. De Penitenti. distinct. 2. tum vt nos ea ratione, cum zelo diuinae iustitiae coniungamus compassionem proximi, quae per discretionem illi admisceri debet tanquam vino olei ad curatione fauciat] *ex Parabola Lucae 10.*

Primum igitur est, quod morte aeterna non punierit nos extremum, sicut Demones, sed Penitentia tempus nullo nostro merito nobis concesserit, interea tamen priuans suis donis caelestibus, vt in seq. sectione exponetur: sicut Rex qui proditori misericorditer donans vitam, aufert castra ei antea commissa.

Secundum est, quod non desinat nos conseruare quantumcumque vitam & vires quas confert ad ipsius offensam impediendam.

Tertium, quod nequitia nostra non obstante velit nos rebus omnibus (licet inimicos) non secus vt ac sanctissimos: atque adeo nobis coelum ac sidera, aërem, & terram, animalia & plantas, aliaque corpora velit seruire, immo & vnum ex beatis Angelis nobis adesse custodem, eo etiam tempore, quo nostro & ipsorum communi domino fidem frangimus, & ipsa quasi cogimus nobiscum communi Domino rebellare. Sic igitur benignissimus ipse Dominus, vt dicitur *Matth. 5.* Sole suum facit oriri super bonos, & malos, & pluit super iustos & iniustos.] Id quod experientia quotidiana docet in condemnationem nostrae iniquitatis.

Quartum, quod res ad faciendum verbum eius creatas prohibuerit, ne in nos perfidos, & desertores iuste impetu facto, vlciscerentur domini sui iniuriam: praesertim satellites ipsius Angeli sancti, coerueritque infernales carnifices, in quorum potestate cum essemus constituti, moliebantur vitam nobis eripere, ad adimendam respiciendi ab ipsorum laqueis commoditate omnem. Immo & represserit, ne vehementius sollicitaret, impellerentue ad scelera: cui dubium non sit quin ad grauiora lapsuri essemus, nisi nos auxilio suo diuino iuuisset auersus tentationes, vel eas à nobis auertisset: sicut & auertit plurima vitæ quoque nostrae corporalis pericula, quae nos nec adnectere, nec etiam sentire solemus.

Postremum, tunc etiam temporis, cum pertinaciter illi fugeremus, misericordissimè cum summa patientia nos insecutus sit, ad seque reuocavit: tum tacitis suis afflatibus diuinis, tum etiam apertis proximorum, aut aliquorum euentuum extraordinariorum monitis: ita vt gesserit se nobiscum, geratque sicut se bonus aliquis pater gereret, cum unico filio charissimo, vi febris de mente deiecit, cui assidet & ministrat cum magna sollicitudine, pietate & patientia, quantumque nec beneficia, nec patrem agnoscat, sed ipsum malè excipiat, grauius lacessens iniuriis, & contumeliis. Quae tanta Dei benignitas & patientia in peccatorum tandem vertetur in indignationem & ira iuxta illud *Psal. 2.* Qui habitat in caelis iridebit eos, & Dominus subannabit eos, tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.] Et si quandiu in hac vita sumus, reconciliationi locus est, iuxta illud *Ioan. 6.* Eum qui venit ad me, non eieciam foras.]

De eadem ratione tertio, ex iactura bonorum, quae fit per peccatum mortale.

#### SECTIO V.

**P**ernicies, quam peccatum mortale adfert, & ad illius odium seu detestationem magnum est motuum, confu-

stus tum in iactura praestantissimorum bonorum; tum in inuentione ingentium malorum. Ideoque ad prudentiam quoque Confessorij pertinet. 4. vtramque Penitenti inculcare cum opus fuerit ad eum emolliendum ad contritionem: atque de priore, in hac, & de posteriore, in sequenti sectione.

Iactura igitur istiusmodi: de qua mysticè primo *Threnorum*: Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia eius, ] est primò meritorum nostrorum praeteritorum; quia per peccatum mortale in nobis mortificantur omnia nostra bona opera; itaut quasi [ argentum verum in scortam ] *ex Isaia cap. 1.* vltra non imputentur nobis ad meritum aeternae salutis: iuxta illud *Ezech. 18.* Si iustus auerterit se, & fecerit iniquitatem, omnes iustitiae quas fecerat non recordabuntur.]

Secundò priuatur paterna illa beneuolentia & praecipua cura, tutela ac blanditiis, quibus parens optimus vt solet erga bonos, & pios. Quò spectat illud *Ierem. 22.* Si fuerit recondis filius Iochim regis, sicut annulus in manu dextera mea, inde euellam eum ] Et illud *Psal. 118.* Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis, quia iniusta cogitatio eorum.] Et illud *Proverb. 1.* Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, manè confurgent, & non inuenient me, eo quod exofam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint.] Adde & illud *Isai. 59.* Iniquitates vestrae diuiserunt inter vos, & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciem eius à vobis ne exaudiret.] Ac illud *Ierem. 5.* Peccata vestra prohibebunt bonum à vobis.]

Tertio spoliatur iure caelestis hereditatis; facti mancipia Diaboli ex filiis Dei, qui paulò post eramus Reges futuri, & fructuri foelicissima, iucundissimaque vita perpetua in illo Dei tabernaculo, in quo is tantum habitabit, qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.] *Psal. 14.* Vnde existimare debemus, in eo instanti, quo mortaliter peccauimus, contra nos prolatam fuisse sententiam, qua ex caelo exules esse pronuntiatum, spoliari bonis omnibus spiritualibus eò ducentibus: & Sathanae ipsiusque ministris addicti cruciandi, perinde quadam ratione ac nefarius sacerdos per degradationem ab ecclesiastica dignitate alienus declaratur, sacerdotibus indumentis exiuit, & brachio saeculari traditur mulcandus.

Quarto abalienatur à nobis Spiritus adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus Abba pater: quique testimonium reddit Spiritui nostro, quod filij Dei sumus.] *ad Roman. 8.* & per quem nobis datum, charitas diffunditur in cordibus nostris.] *ad Rom. 5.* atque adeo per quem Spiritu viuere, & Spiritu ambulare (in via nimirum salutis) dicitur iuxta illud *ad Galat. 5.* Si Spiritu viuimus, Spiritu & ambulamus.] Erratio est, quia vita animae nostrae consistit in charitate: vnde dicitur *1. Ioan. 3.* Qui non diligit, manet in morte, ] & peccatum mortale illam extinguens, dicitur generare mortem *Iacob. 1.* Peccatum (inquit) cum consummatum fuerit generat mortem ] idemque fides sine illa est mortua: sicut corpus sine Spiritu mortuum est.] *ex sequenti cap. 2.* neque vllum nostrum opus censetur vitæ aeternae meritum esse, nisi ex illa proueniat, vt patet *ex cap. 12. prioris ad Corinth.*

Quinto spoliatur gratia diuina, qua decorante animam ea ita placet Deo, vt tanquam siue filiam, siue sponsam charissimam velit aeterni sui regni esse consortem: quod vox illa sponsi *Cant. 4.* significat. Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.] Spoliatur charitate, eamque comitantibus Spiritus sancti donis, & virtutibus infusis (tanquam *Madian omnia vastante in terra Israel iudicum 6. aut Antiocho diripiens omnia vasa templi. 1. Machab. 1.*) quibus facultates animae nostrae roborantur, idonei sumus; prompti alacresque reddimur ad opera aeternae salutis meritoria. Non enim tantum sunt ornamenta filiae regis cuius omnis gloria ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietate.] *Ps. 44.* Sed etià adiumenta necessaria ad vitam aeternae salutis meritoriam agenda, quae sicut, cum adsunt, magnam praebet gaudendi materiam iuxta illud *Isaia 61.* Gaudens gaudebo in Domino & exultabit anima mea in Deo meo, quia induit me vestimento salutis, & indumento iustitiae circumdedit me; quasi sponsum decoratum corona, & quasi

sponsam ornata[m] monilibus suis ] sic etiam cum abluunt (quod nostrā culpā sit peccatum mortale) magnam præbēt materiam doloris vehementis, qualem sensit Iob. cum in. c. 19. diceret, Spoliavit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me vndique & cetero, quasi euulsæ arbori abstulit spem meam. ] Et qualem sentiret mercator, qui multis laboribus ex India aduectas merces vno iactu taxilli miserè perdidisset.

71. Væ illi qui passis talem iacturam nullo dolore tangitur, se sortè diuitem esse nulliusque egere dicens ( *ut ille de quo Apoc. 3.* ) cum verè miser sit & miserabilis, pauper & nudus ] vt pote qui ad instar descendens ab Ierusalem in Hierico *Luc. 10.* spoliatus bonis omnibus, & plagis impositis semiuivus relictus; sic prius lucrata perdidit, vt ei commoditas in posterum lucrandi adempta sit: Immo qui in longè miseriore statu, quam ille coniectus sit, prout longè grauior, perniciosiorque est bonorum spiritualium & eternorum, quam corporaliū, & caducorum iactura: minisque perniciosæ sunt plagæ corporis, quam plagæ animæ; cui tandem adferunt mortem, de qua *Psalm. 33.* Mors peccatorum pessima ] & interca semiuivum relinquentes peccatorem nempe viuentem quidem carnè, sed mortuum Spiritu. Adde ad eius moditaturam & plagas animæ, accedere reatum, quo peccator debitor est pœnæ ignis æterni, parati Diabolo & Angelis eius, vt patet ex sententia in eos proferenda, ex *D. Matth. 25. cap.* Peiūque etiam accedere temporalia detrimenta infamiae, mortuorum, paupertatis, & indigentiae. Accedere denique ad miseriam cumulum, quod anima peccato mortali inquinata, sic vt nauis vndique agitata ventis, à nauis deserta: ciuitas præsidio militum destituta, quæ ab hostibus cingitur, & in qua clues dissi dent, & proditores consilio præfunt aut virgo à procis vndique sollicitata, quæ pater, custos castitatis eius deseruit: vel vidua solatio destituta: cui vndique lites intentantur, & molestiæ inferuntur. Quo spectare cenferi potest illud *Psalm. 70.* Consilium fecerunt in vnum dicentes Deus dereliquit eum, persequimini & comprehendite eum, quia non est qui eripiat. ]

De eadem quartò, ex multitudine & magnitudine malorum, quæ per peccatum mortale incurruntur.

## SECTIO VI.

**P**ernicies quam peccatum mortale adfert, cum iactura bonorum coniunctam habet inuectionem multorum & ingentium malorum: quorum alia iam sunt præsentia, & alia adhuc misericorditer à Deo differuntur, dante peccatori locū pœnitentiæ, quo abutitur in superbiam ex *Iob. c. 24.* illaque plagarū, & hæc debitorū nomine intelligi possunt.

Plagæ quæ per peccatum mortale insiguntur anima. §. 1.

72. **P**rima autem plaga est in animæ substantia, tum corruptionis cuiusdam, iuxta illud *Psalm. 37.* Putruerunt & corptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ, ] & illud *Psalm. 52.* Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus. ] Tum deturpationis: qua Demonis turpissimi, nigri & pallidi; non cœlestis sponsi pulcherrimi, candidi & rubicundi (ex *Cantic. cap. 5.*) speciem referat: ita vt in eam cadat illud *Thren. 4.* Denigrata est super carbone facies eorum, ] & illud *Ezechiel. 16.* Abominabilem fecisti decorem tuum: ] Tum denique monstruositatis, qua ad instar Nabuchodonosor *Dan. 4.* monstruosam quandam bestiarum speciem induit, iuxta illud *Psalm. 48.* Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. ]

Secunda plaga est cæcitas in intellectu; cuius iudicium, voluntas per peccatum peruersa, pervertit, vt malum dicat bonum, & contra bonum, malum: iuxta illud *Isa. 5.* Væ qui dicitis malum, bonum: & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum. Væ qui sapientes estis in oculis vestris, & coram vobismetipsis prudentes. ] Item illud *Psalm. 81.* Nescierunt neque intellexerunt, in tenebris ambulant, ] & illud *Sopho. 1.* Ambulabunt vt cæci, quia Domino peccauerunt ] & illud *Sapien. 2.* Excæcauit illos malitia illorum. Id quod Sodomitis ita contigit, vt simul cæcitate oculorum percuterentur, *Gen. 19.* Et illud *Proverb. 4.* Via impiorum tene-

brosa, nesciunt vbi corruant. ] Nimirum sicut Balaam *Numerorum 22.* (qua comparatione D. Petrus in 2. sua *Epist. cap. 2.* vtitur) nesciuit Angelum ante se stare districto gladio, quia vi illius erat peruersa. Adde etiam illud *ad Ephes. 4.* Hoc dico, & testificor, vt non ambuletis, sicut gentes ambulant in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita Dei, per ignorantiam quæ est in illis propter cæcitate[m] cordis ipsorum. ] Ea igitur quæ illicitè amata, idè Apost. *ad Philip. 3.* arbitratus est vt iter cora, intellectum exceccant, sicut & stercus hirundinum cadens in oculos Tobiaz cæcitate[m] ei attulit, *Tob. 1.*

Tertia plaga est obliuionis Dei in memoria: de qua *Deut. 32.* Oblitus es Dei creatoris tui, ] & *Psalm. 9.* Non est Deus in conspectu eius, inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. Auferentur iudicia tua à facie eius. ] Et *Psalm. 53.* Non proposuerunt Deum ante conspectum suum: ] & *Psalm. 83.* Non proposuerunt te in conspectu suo. ] & *Psalm. 105.* Obliti sunt Dei qui saluauit eos. ]

Quarta plaga est peruersitas in voluntate: qua seruituti appetitus (tanquam domina ancilla nequissima) ipsa addidit, & famulari cogitur, quæ dominari deberet: peccatum enim propensionem illi: de qua *Gen. 8.* Sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentiæ, ] tanquam ferocissimæ bestię frænum detrahens, aut tanquam intemperatissimo mancipio libertatem tribuens; omnia perturbat & peruertit; nec sensu obtemperante rationi, nec ratione obtemperante Deo, ob omnem humanum; immo & diuinum timorem abiectum; sicut ei accidit, qui *Lucæ 18.* dixisse referunt, Deum non timeo, nec hominem reueror. ] Quo dantè filij huius seculi, prudentiores sunt filijs lucis in generatione sua. ] *Luc. 16.* id illis accidit: sicut noctuæ contingit in tenebris melius, quam aues reliquis volatum suum dirigere.

Quinta plaga est deliratis in facultate exequendi constituentis eam infirmitatem, de qua in *Psalm. 6.* Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum, sana me domine, quoniam conturbata sunt ossa mea. ] Ex quibus plagis intelligitur lapsum in peccatum recte à Diuo Bernardo serm. 1. in Cena Domini, cōparari lapsui in cloacam plenam lapidibus: quos qui labitur, non solum fœdatur; sed etiam in suis membris grauitè læditur. Si quæ verò aliæ sint eiusdem modi plagæ, ea ad has reducuntur, quarum perniciem argunt, per ea quæ secum ferunt detrimenta in bonis siue honorariis, siue pecuniariis, siue etiam corporis.

Ratio qua ob acceptas per peccatum plagas, peccator ad illius odium inducendus est. §. 2.

73. **A**tque per hæc adducetur peccator in odium peccati si inculcetur ei, quantam inde habeat occasionem erubescendi coram Deo & Sanctis eius de vilissimo, pauperimoque statu, in quem se coniecit per peccatum. Namque adeo illum tales plagæ veris bonis exinaniant, vt merito possit vltimè illud *Psalm. 72.* Ad nihilum redactus sum & cetera; ] sibi que accommodare illud dictum diabolo, *Ezech. 28.* Nil factus es. Certe aperta est Apostoli doctrina in *priori ad Corinth. 13.* dicentis, se sine charitate nihil esse. ] Imprudenter autem tale quid parulpendenti, quia commoditatibus temporalibus ( quibus fortè Dei beneficio abundat ) contentus est: inculcare oportet de talibus tanquam concessis ad procurandum Dei gloriam, esse rationem reddendam vsque ad nouissimum quadrantem, *Matth. cap. quinto,* neque concessum esse illis diu vti; iuxta illud *Luc. 12.* quod dicent, Anima habes multa bona, posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare; ] responderit Deus: Stulte hac nocte repentet à te anima tua, quæ autem parasti cuius erunt; ] & illud *Tob. 20.* Gaudium hypocrite ad instar puncti. ] nec etiam talis vsus facti hominem contentum, seu quiete animi frui. Impij enim (vt dicitur *Isai. 57.* ) quasi mare feruens, quod quiescere non potest; ] in quos proinde aptè quadrat illud *Psalm. 106.* Anima eorum in malis tabescebat, turbati sunt & moti sicut ebrius: omnis sapientia eorum deuorata est; ] itemque illud *Isai. 48.* Non est pax impijs, ] esto ducant in bonis dies suos: in puncto tamen in infernum descendunt, *Iob. 21.* Adde quod rursus dolore miscbitur & extrema gaudij luctus occupat ] *Prou. 14.* Item quod abundantiam & delectationem ipsorum summa egestas molestiaque

excipiet. Sicut enim is qui inducitur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide, ne quidem aqua guttam habere potest, qua linguam suam refrigeret, cruciatus in flamma, *ex Divi Lucae cap. 6.* Et experitur verum esse de peccato, quod dicitur *proverb. 5.* Faus distillans labia meretricis, novissima autem illius amara quasi absinthium,] vrgendum vltimus est, cum talibus commoditatibus peccatores gravissimis vinculis onerari, de quibus *proverb. 5.* Iniquitates suae capiunt impium, & sanibus peccatorum suorum constringuntur; *& Psalm. 37.* Iniquitates meae supergressae sunt caput meum, & sicut onus grave gravatae sunt super me. Miser factus sum, & curvatus sum usque in finem. *]* Cuius rei typum gessit Manasses inter caetera de se dicens in sua oratione *que habetur in fine Paralip.* Incurvatus sum multo vinculo ferreo, & non possum attolere caput meum. Talia vincula tunc demum sentiuntur a peccatore, cum (ad instar auis esca consumpta) recedere conatur: prout Divo Augustino accidit, *iuxta illud quod ait in libro 8. Confessionum cap. 5.* Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed ferrea mea voluntate. Velle meū tenebat inimicus & inde mihi carenam fecerat, & me constrinxerat. *]* Sicut autem constructos peccatores tenent ab immanissimo humani generis hoste captivos ad ipsius voluntatem habetur *ex 2. ad Timoth. cap. 2.* in fine, & in tali captivitate, multa perpeti patet *per illud Psalm. 31.* Multa flagella peccatoris; *& illud, quod qui peccaverunt, in inferno positi ex 5. Sapient. dixerunt.* Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulavimus vias difficiles. *]* Ex quibus intelligitur peccatoris dura cervicis (etiam abundantius commoditatibus huius vitae) conditionem comparari posse cum ea, qua asinus, non quidem solutus cui insidet Christus ad ingressum triumphalem in Ierusalem *vt Matth. 21.* sed ligatus ad obsequium crudelissimi Domini, onere gravi oppressus, & fustibus crudeliter verberatus, cuius esum superpetant a liquor cardui: cum quibus praedicta commoditates comparari possunt, sicut comparantur cum spinis in parabola de semine *Matth. 13. Mari 4. Luca 8.*

De debitis que per peccatum mortale contrahuntur. §. 3.

74. **Q**uod attinet ad debita peccatoris, seu mala quibus post hanc vitam expositus est nisi respicatur, ea talia sunt, quae nec humana cogitatio comprehendere, nec lingua exprimeret valeat: sicut nec proemia, seu bona iustus parata, *iuxta illud apostoli. Corinth. 2. ex Isai. cap. 64.* Oculis non videt, nec auris audit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum. *]* Comprehenduntur autem nomine poenae aeternae damnationis, quae duplex est, vna dicitur poena damni, qua pariter omnes damnati excluduntur à beatifica visione Dei, regnoque caelorum *iuxta illud quod in Apoc. cap. 21. sub finem dicitur;* quod in eam quae ibi describitur caelestem Ierusalem non introibit aliquid coinquinatum. *]* Ad quod etiam facit illud *Psalm. 5.* Non Deus volens iniquitatem tuas. Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniusti ante oculos tuos. O iusti omnes, qui operantur iniquitatem. *]* Itemque illud *Psalm. 72.* Qui elongant se à te peribunt: perdidisti omnes qui fornicantur abs te. *]* Accedit etiam, quod ratio talis exclusionis sit carentia charitatis, tanquam velitis nuptialis, qua spoliatur per quodcumque peccatum mortale. Altera vero poena aeternae damnationis, dicitur poena sensus: qua torquentur damnati impariter, pro imparitate numeri & gravitatis peccatorum ab uno quoque commisso, *iuxta illud apoc. 18.* Quantum se glorificavit & in deliciis fuit, tantum dare illi tormentum & lucrum. *]* Vnde fit vt homo qui plura & graviora peccata (de quibus non egit poenitentiam) commisit, quam multi Demones; vnus plura & graviora quam multi illi patiantur tormenta: cum non sic personarum acceptio apud Deū, vt antea pluribus facit Scripturae locis citatis habitū est. *]* Quam autem horrenda sit istiusmodi poena, colligere licet ex sententia, per quam eidem sunt à Christo addicendi miseriae: cum *ex Matth. 25 cap. dicit,* Ite maledicti in ignem aeternum qui paratus est Diabolo & Angelis eius. *]* Nam illud *ite maledicti;* ostendit poenam ignominiosissimam, quae separata à societate Sanctorum cum Dei indignatione. Illud verò *in ignem aeternum,* poenam acerbissimam, eamque nunquam finituram. Illud denique, *qui paratus est Diabolo & An-*

gelis eius: poenam immanissimam & ex nequissimorum societate molestissimam.

Ratio concipiendi odium peccati, ob debita, per illud contracta. §. 4.

76. **C**onsideret igitur Christianus, aut tanquam miles baptismali characterē Christi insignitus, mox coronandus, si legitime certasset: aut tanquam filius adoptatus, mox ad regni solium ab adoptante euehendus, si parisset, paternis iustitiis: aut tanquam sponsa ad delicias regales (de quibus *Luc. 22.* Ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater regnum vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo) mox admittenda, si fidee servasset: Consideret inquam se à tam felici conditione excidete per peccatum mortale: adeoque exosum Deo reddi, vt is ipsum tanquam nihil factum ac foedissimè deturpatum, omninoque abominabilem, velit à domo sua alienū esse & in infernum abiici, vt in cloacam sordium vniuersi receptaculum immundissimum: atque igne inextinguibili in aeternum cum Dæmonibus cruciari abique vilo profus solatio: vt argumento est quod *(ex cap. 5. Sapient.)* Deus amabit creaturam ad vltionem inimicorum & pugnabit cum illo orbis terrarum contra inferatos. *]* Descendat in infernum viuens: ne descendat mortuus; seridū considerans *ex Job. cap. 10.* terram tenebrosam & operam mortis caliginē, terram miseriae & tenebrarum, vbi nullus ordo sed sempiternus horror inhabitat. *]* *Ex Apocal. cap. 21.* Stagnum ardens ignis & sulphure dæmonibus terribissimis tanquam serpentibus saulissimis totum scatenis: & tum ex aliis sacrae Scripturae locis *vt ex Isai. cap. 34. versu 8. & ex cap. 1. Sophoniae, à versu item 8.* tum ex libris piis in quibus de nouissimis hominis agitur, expendat omnis generis miserias ibi perferendas maiores ac molestiores, quam mens humana capere possit vel lingua exprimeret: eas vt cumque iudicant, qui ibidem constituti, praerargustia spiritus gementes *(ex citato cap. 5. Sapientia)* ac tridentes dentibus *ex cap. 24. & 25. D. Matth.* desiderant mortem fugientem ab eis, *ex Apoc. cap. 9.* dicuntque montibus. Cadite super nos, & collibus operite nos. *]* *ex praeced. cap. 6. sub finem:* & *ex cap. 23. D. Luca.* Ex qua consideratione si in peccatoris voluntate non excitetur motus, tum pudoris, de iam in misero praesenti suo statu: tum timoris de impendente futuro omnium miserrimo: tum demum summi odij peccati, vt detestandi tantorum malorum fontis; vix aliud superesse videtur quam vt pro eo ore tur: & moneatur de eodem misero suo statu per similitudinem, qua D. Paulus vitur ad Hebr. 6. quod terra sepe venientem super se bibens imbrem proferens spinas & tribulos, reproba est: cuius consummatio in combustionem.]

77. Itemque doceatur illam suam duritiem, non esse opus alterius, quam Diaboli, tenentis ipsum cap. Neque ad suam voluntatem *iuxta Apostolum 2. ad Timoth. 2.* Neque enim est Dei, nisi permittentis, vt in Pharaone: neque est naturae opus: vt ex eo patet, quod soleant homines tam faciles esse ad concipiendam, tum pudorem de turpitudine sui status; tum timorem impendentium sibi gravium malorum, tum demum odium eorum quae grauius eis nocent, vt difficillimum sit eos cohibere à talibus motibus & intra rationis limites coercere. Neque refert quod tale quid eis contingat circa temporalia, quae sensu percipiuntur. Nam spiritalia percipiuntur fide quae certiore notitiam dat, quam sensus: spiritaliaque iactura infinitis paribus maior est & formidabilior: quam iactura temporalium vt satis insinuatum est, à Domino nostro cum dixit *Luc. 12.* Ne timeamini ab his qui occidunt corpus & post haec non habent amplius quid faciant. Ostendam autem vobis quem timeatis, timeate eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. *]* Item *(quod bene notatum est à D. Chrysof. hom. 5. ad populum Antiochenum)* tristitia quam contritionem dicimus, concepta propter Deum de iactura spiritalium, est aduersus hanc remedium, *iuxta illud in posteriori ad Corinth. 7.* Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Suscepta verò tristitia de iactura temporalium, nihil ad eam refarciendam proficit: quantum cumque enim tristetur quis de liberis vel bonis amissis vel de infamia aut morbis contractis non id eo facta iactura refarciatur vt constat experientia. Iraque

aduertat

aduertat peccator induratus, quem suus tam miser status nihil mouet, quod in manu sit Diaboli carnificis scruissimi: à quo ducitur ad æternum gehennæ supplicium: quando quidem vita hæc nostra cursus est ad mortem, quam seuerum Dei iudicium sequitur, & cum eo supplicium peccatoribus impænitentibus constitutum. Ducitur verò quasi obuerso dorso: ne ollam succensam sibi paratam videns, terreatur. Misereatur miser animæ suæ & dum ei conceditur remediū pœnitentiæ ad se liberandum, illo vtatur: cum ad id non desint ei imitationes diuinæ misericordiæ: tum per interiores inspitationes, tum per exteriores monitiones siue prosperitatum siue afflictionum, siue etiam concionum ac bonorum exemplorum se offerentium. Quas imitationes, qui contemnit, quam malè sibi prospiciat pro eo tempore quo (ipso etiam Dæmone urgente vt in desperationem inducat) compellatur ad tribunal tremendam & supplicium horribile faciem conuertere, & tunc dum potest comminationem factam *Prover. 1.* Quia vocauit & renuistis, extendi manum meam & non fuit qui aspiceret, desepistis omne consilium meum & increpationes meas neglexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.] dumque licet dicat *Suberimum* Peccati; cuius singulæ literæ indices illi esse possint miseriæ, in qua versatur: puta 1. præmissis meritorum omnium priuatus. 2. egestate oppressus. 3. cœcitate mentis percussus. 4. charitate diuina spoliatus. 5. amaritudine repletus. 6. viam perditionis ingressus. 7. iram Dei meritis; certè si depulsa mentis caligine posset serio dicere. Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper: serio quoque vsurpare illud, Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam, &c.

## CAPVT SEXTVM.

De confessarij prudentia in dirigendo pœnitente ad contritionem executioni mandandam.

## SVMARIVM.

- 78 Maxima Dei miseratio in peccatores, qua pro illis ad pœnitentiam vocandis, misit vnigenitum Filium suum.  
 79 Miseratio qua homines peccatores ad ipsum reuertentes recipit.  
 80 Miseratio qua benignissime ad se vocat, patientissimeque suffert peccatores.  
 81 Miseratio qua velut naturali propensione miseretur peccatoris.  
 82 Miseratio liberalissime offerentis peccatori veniam suorum peccatorum.  
 83 Nulla est grauitas aut multitudo peccatorum ob quam pœnitenti desperandum sit de Dei misericordia: & qualiter ad spem concipiendam excitari possit.  
 84 Continuatio diuinorum in nos beneficiorum tum communium tum particularium.  
 85 Dignitas contritionis.  
 86 Facilitas tum euadendi æternam damnationem, tum gratiam & cetera diuina dona recuperandi, tum etiam consequendi vitam æternam beneficio contritionis.  
 87 Virilitates contritionis, repurgandi animam à peccatis claudendi infernum & aperiendi celum.  
 88 Non esse sustinendam contritionem ob illius difficultatem.  
 89 Rationes quibus potest pœnitenti dissuaderi contritionis dilatio: ac primo ex periculo in mora.  
 90 Deinde ex difficultate quam talis mora parit resurgendi à peccato: & facilitate quam adfert labendi in novum peccatum.  
 91 Postremo ex miseria qua in tali mora notatur.  
 92 Illusio Dæmonis in necenda tali mora.

**V**T nonnullis corpore ægris vsu venit, desiderare quidem liberationem à morbo, quo detinentur, propter multitudinem tum commoditatum quibus priua: tum incommoditatum quas adfert; auersari tamen sumptionem potionis ad illam consequendam necessariæ: sic etiam quibusdam peccatoribus contingit, vt optent quidem peccatorum suorum, præsertim mortalium, remissionem tot quot ante dicta sunt detrimenta adferentium: auercentur tamen executionem contritionis necessariæ ad eamdem remissionem: quod prouenire potest, vel ex quadam desperatione consequendi talem remissionem: vel ex quodam horrore contritionis tanquam ex nauſea potionis amaræ & gro obla-

ta: vel ex quadam socordia per quam illius executio differtur de die in diem: vel denique ex ignoratione modi eam exequendi, quæ anxium reddens, ab ipsa executione auocat. Quæ cum ita sint, prudentiæ erit Confessarij primò Pœnitentem suum cum necessarium esse viderit, in spem diuinæ misericordiæ erigere. Secundò ei gratiam reddere contritionem. Tertiò dissuadere illius dilationem. Quarto rationem illius exercendæ ei tradere: quam persequemur separatim in sequenti cap. De cæteris verò dicemus in præfenti.

De erigendo pœnitente in spem diuinæ misericordiæ.

## SECTIO I.

**P**ertinet igitur primò ad istiusmodi prudentiam Confessarij, vt pœnitentem erigat in spem veniæ à Deo consequenda; cum illam aduertit ita perterritum consideratione diuini iudicij, & multitudinis ac grauitatis suorum peccatorum vt ad desperationem inclinare videatur. Ad id autem conferre potest commemoratio misericordiarum, quas Deus exercet, exercitque in peccatores: sicut commemoratio iudiciorum confert ad durum petterendum.

Principalis autem huiusmodi miseratio, est quòd Dei filius venerit peccatores ad pœnitentiam vocare *Matth. 9.* atque adeo nascens dederit se in socium, cõsuetens in edulij, moriens in pretium, regnans daturus se in præmium. Nimirum, vnigenitus Dei filius per quem omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil quod factum est: de sinu Patris in terram descendens vt quæreret & saluum faceret quod perierat: non tantum se exhibuit peregrinationis nostræ socium, sed etiam in ea mortem acerbissimam pro nobis passus est. Immo & seipsum in eadem dedit in cibum, daturus in patria, quòd disposuit nobis regnum, vt edamus & bibamus super mensam suam in regno suo. *Luce 22.* Vbi & Aduocatus noster est apud Patrem, & propitiatio pro peccatis nostris *[prima Ioan. 1.]* Hæcque sunt vnguenta pretiosa, quæ diuina bonitas in nos peccatores effudit, vt post se traheret, & in eorum curreremus odorem *(quod pesit sponsa Cant. 1.)* confidentes in ea charitate ineffabili qua sic dilexit mundum vt vnigenitum suum daret, vt omnis qui credit in ipsum non pereat sed habeat vitam æternam. *[Ioan. tertio.]* quæque idem Filius humiliavit semetipsum factus obediens vique ad mortem, mortem autem crucis *[ad Philip. 2.]* vt exaltatus à terra omnia traheret ad seipsum *[iuxta ipsius prædicationem Ioan. 12.]* Ergone diffidemus de eo qui proprio Filio non perierit, sed pro nobis tradidit illum: quomodo enim non etiam omnia nobis cum illo donabit? *[vt D. Paulus argumentatur ad Rom. 8.]* Quin potius, hauriemus aquas de fontibus Saluatoris *[iuxta prædicationem Isaiæ cap. 12.]* hoc est, Exserta consideratione eorum quæ Christus pro nobis egit & passus est, spirituales lachrymas ciebimus, compungemur de tanta tamque enormi nostra ingratitude, quanta est peccantium in talium beneficiorum largitorum amantissimum: ratione quorum infinitis nominibus, illi omnis laus, honor, & gloria, perpetua gratiarum actio, perpetuumque obsequium à nobis debetur.

Alteram miseratio est qua peccatores reuertentes ad se recipit benignissime, prout ostendit parabola de prodigo *Luc. 15.* Neque eos exhorrescit, quantumuis abominabiles: sic enim non exhorruit consistentem latronem, nec lachrymantem peccatricem, nec Chanaanam supplicantem, nec deprehensam in adulterio mulierem: nec sedentem in telonio *Matthæum*, nec orantem publicanum: nec discipulum negantem, nec persequentem Apostolum, nec demum suos crucifixores ad ipsum reuertentes reiecit: pro quibus ipsum tidentibus, orant pendens in Cruce. Quamprimum David Pœnitens dixit *[Peccavi Domino]* audiuit à Propheta *[Dominus quoque transtulit peccatum tuum.] 2. Regum 12.* Facinorosissimi reges *(Manasses inquam, 2. Paralip. 33. & Nabuchodonosor, Dan. 4.)* conuersi ad Deum, statim sunt ab eo misericordiam consecuti. Hinc imple David *[psal. 76.]* Nunquid in æternum proficiet Deus, aut non apponet, vt complicitior sit adhuc, aut in finem misericordiam suam abscondet à generatione in generationem: aut obliuiscetur misereri Deus, aut continebit in ira misericordias suas?]

80. Tertia miseratio, est benignitatis patientiæ & suauitatis, qua vitur in reuocandis ad se peccatoribus in viam salutis. Hanc ostendunt tum illud *Matth. 11.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.] tum illud *Apo. 3.* Ego sto ad ostium & pullo, si quis audierit vocem meam, & aperuerit, intrabo & cenabo cum illo, & ipse mecum.] tum etiam illud *Isa. 3.* Expectat Dominus vt misereatur vestri & ideo exaltabitur parcens vobis.] *Et in sequen. cap. 4. 5.* Conuertimini ad me & salui eritis omnes fines terræ, quia ego Deus & non est alius.] Ecce qui non minus nos, quam Angelos peccantes, posset statim in infernum præcipitare, & alios Abraham filios sibi de lapidibus excitare.] *Matth. 3.* non modo tempus ad horrendum illud supplicium per Pœnitentiã euadendum, misericordissimè concedit (*miseri cordiã enim Domini quod non sumus consumpti Thren. 4.*) sed etiam ad vtendum beneficio tam insigni, benignissimè inuitat.

81. Quarta miseratio est, qua velut naturali propensione Deus miseretur peccatoris: & quasi inuitus ad illius punitionem procedit. Hinc *Ezech. 18.* dicitur nolle mortem peccatoris sed magis vt conuertatur & viuat.] & Ecclesiã ipsum orans ait: Deus cui propriũ est misereri semper & parcere.] Sicut nimirum propriam est apud semper mellificam: non est aut pungere, nisi cum irritantur ita Dei proprium est semper misereri: punire autem solummodo cum prouocatur. Vnde tanquam ab hoc alienus nobis proponitur per illud *Isa. 28. de ipso dictum.* Inascetur, vt faciat opus suum, alienum opus eius vt operetur opus suum, peregrinum est opus eius ab eo.] Et per illud in *precedenti cap. 1.* Heu consolabor super hostibus meis & vindicabor de inimicis meis.]

82. Quinta miseratio est, liberalissimè offerentis Pœnitentiã veniam suorum peccatorum: perinde ac si reum læsæ maiestatis extremo supplicio afficiendum. Rex ad se vocatum inuitaret ad preendam veniam, libentissimè concessurus eam Pœnitenti, & emendationem ex animo pollicenti. Hanc indicant tum illud *terem. 3.* Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuertere ad me & suscipiam te.] Et paulo post. Saltem à modo voca me, pater meus, dux Virginitatis meæ tu es.] tum illud *Isa. 49.* Nāquid obliuisci potest mulier infantem suum vt non misereatur si in vteri sui: & si illa obliuisci fuerit, ego tamen non obliuiscar tui,] tum Denum illud (vt cætera omittam) *Cant. 4.* Veni de Libano sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis.] *Ex cap. 6.* Reuertere reuertere Sunamitis: reuertere reuertere & intueamur te.]

83. Ne autem quis ob grauitatem aut multitudinem suorum peccatorum se à tanta benignitate excludi existimare debeat, facit illud Domini *Matth. 11.* Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.] Qui enim omnes dicit, nullum excipit. Igitur quisquis est amaro animo hortante Dauide in *Psal. 33.* gultet & videat quam suavis est Dominus: sibi que persuadeat, quod is solus sit vir beatus, qui sperat in eo.] Etenim vocans eum ad se carere, tantum dicere potest, inficiam: mundus verò, deficiat: & Diabolus, decipiam ac interficiam, solus autem Christus, reficiam. Quid ergo restat nisi vt statuatur apud se cum eodem Dauide *Psal. 72.* Mihi adhaerere Deo bonum est, & ponere in Deo Spem meam:] & vt in spiritu humilitatis animo que contrito cum eodem, in *Psal. 34.* precetur, Dic anima mea salus tua ego sum.] & cum *S. Iob cap. 13.* Manum tuam longè fac à me & formido tua non me terreat.] Ad eundem scriptum excitet ad sentiendum de Deo in bonitate per illud *Psal. 41.* Quare tristis es anima mea & quare conturbas me? spera in Deo, &c.] & illud *Psalm. 102.* Benedic anima mea Domino & noli obliuisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat de misericordia & miserationibus, &c.] Illum autem ad hæc, isto ferè modo hortari poterimus. Ne quæso fugias bonum pastorem, qui pro omnibus animam suam posuit: & post errantem vadit, & querit, inuentamque imponit humeris, & lætus reportat ad ouile *Luca. 15.* Pius Samaritanus (*Luca. 10.*) te spoliatum & plagis impositis femiuuum relicum, iumento suo imponet & de tua curatione erit sollicitus. Aspice adstantem tibi, seque di-

mittentem, vt te iacentem subleuet, & audi exigentem tuum concursum per illud *1er. 1.* Conuertimini ad me ait Dominus exercituum, & ego conuertar ad vos.] ac etiam per pœnitentiã præceptum à quo suas conclones inchoauit *ex Matth. cap. 4. cum dicitur.* Ex inde cœpit Iesus prædicare & dicere, Pœnitentiã agite, appropinquare enim regnum cælorum.] Audi pre cor benignissimam illam cohortationem Domini Dominantium *Ezech. 18.* Proicite à vobis omnes præuaticationes vestras in quibus præuicati estis: & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Et quare moriemini domus Israël? quia nolo mortem morientis dicit Dominus Deus: reuertimini & viuite.] Anima duerte quæso, quod contractus peccatorum tuorum funibus, tenearis à Diabolo captiuus, ad ipsius voluntatem excarnificandus: quodque tibi Christus occurrat vitro offerens libertatem filiorum Dei, si pœnitere velis. Id quod te facere, & est rationi consentaneum: & tibi facile: iplo præsertim opem ferente iuxta illud promissum suum *1erem. 1.* Conuertimini ad me & ego conuertar ad vos.] Quod facturus esses pro temporali corporis tui vita (*si traditus carnisici exuendus sumis, te ad se Rex benignè inuitaret, pœnitenti pollicens liberationem à supplicio: & suppeditationem necessariorum ad vitam iucundam*) ne detraçtes facere pro æterna animæ tuæ morte vitanda, æternaque vita consequenda. Tanquam alter Saulus (*Actorum 7.*) persecutus es Christum peccando (*iuxta illud ad Heb. 6.* Rursum crucifigentes Christum in semetipsis) circumfulget te lux de cælo: gratia scilicet Dei te præueniens, audi interius vocantem & dicentem: quid me persequeris? & responde humiliter, Domine quid me vis facere? atque ad Ecclesiam: illeque ad te dirigeret, à quo audias quid te oporteat facere: nempe idoneum Confessarium tanquam alterum Ananiam: cui obediens ipse restitueret te spiritali sanitati per absolutionem sacramentallem: squamis peccatorum cadentibus de oculis cordis tui, vt visum recipias ad videndum & gustandum quoniam suavis est Dominus & quod Beati qui sperant in eo *Psalm. 33.*

84. Postrema miseratio cæteras complectens numero plurimas, est continuationis diuinorum in nos beneficiorum tam communium, quam particularium, quibus nos Deus ad se allicit ad instar inuolens grana manu deiicientis in terram, vt pullos certa voce vocatos attrahat ad se. Communia beneficia inducantur in Symbolo Apostolorum, & reducantur ad creationem, redemptionem, iustificationem & glorificationem. Particularia vero diuersa sunt diuersorum, à quibus ea notari debent, quia plurimum valent ad erigendos ipsos in spem diuinæ misericordie, & ad admittendam cum perfecto voluntatis consensu præparatiuam, qua modo admirabili peccatorem, etiam alia cogitantem, dignatur Deus disponere ad diuinam suæ gratiæ receptionem. Qui modus talis esse solet. Primum mentem occupans, eam sic illustrat, vt moueat ad cognoscendam rerum caducarum vilitatem, & ad considerandum vitæ propriæ statum, positus ei ante oculos periculis in quibus versetur. Deinde timorem diuinorum iudiciorum incutiat. Tum ad spem veniæ consequendæ eum erigat ex consideratione infinitæ misericordie diuinæ: ex eaque (*in indignos & ingratos summam Dei bonitatem ostendente*) tandem perducatur ad affectum pietatis erga Deum ipsum: ex quo affectu sequitur dolor de commissa eiusdem offensa; seu contritio, quæ est proxima dispositio ad ipsam diuinam gratiam recipiendam. Quæ nihil potest nobis contingere melius, nec fructuosius: vt pote quæ conciliatrix est bonorum, & expultrix malorum, de quibus dictum est in præcedenti capite.

De contritione reddenda Pœnitenti gratia.

#### SECTIO II.

Pertinet secundò ad propositam Confessarij prudentiam, vt cum notauerit suam Pœnitentiã auerari aut fastidire contritionem, conetur, eam illi reddere amabilem & gratam: & post cum Dei auxilio obtinere poterit maximè, proponendo illi eiusdem contritionis tum dignitatem eximiam, tum etiam vilitatem maximam.

## De dignitate contritionis ex illius effectu. §. 1.

85. **D**ignitas autem in hoc consistit, quod à Deo tantum fiat, ut peccata facili sit, non modo emundatio à turpissima peccati macula: sed etiam evasio mortis æternæ, & recuperatio gratiæ perditæ, ceterorumque donorum, quæ cum ea datus Spiritus sanctus effudit in corde accipientis: (ad Rom. cap. 5. versu 5.) & demum ad optio vitæ æternæ. Quibus nihil optabilius potest esse peccatori seridè consideranti, ante se quidem, tremendum tribunal diuini iudicij, ad quod incessanter properat propiusque quotidie accedit, sicut & ad mortem, cui illud proxime succedit, dicente Apostolo ad Hebr. 9. Statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium. Post se verò multa peccata commissa & merita omnia amissa: iuxta illud quod de iusto avertente se à iustitia sua, & faciente iniquitatem, dictum est Ezech. 18. Iustitia eius quas fecerat non recordabuntur. Supra se autem, Deum iratum & ad puniendum paratum: iuxta illud Psalm. 7. Deus Iudex fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies: nisi conuersi fueritis gladium suum vibrauit, arcum suum tetendit, & parauit illum, & in eo parauit vala mortis. Infra se porro, Infernum, hoc est, ex Job. capite 10. Terram miseræ, ut pote locum tormentorum, tum animæ tum etiam corporis: tum quoad totam substantiam, tum quoad omnes facultates: omnique consolationis adeo expertem, ut cruciatio in flamma; ne qui lem aquæ guttula suppetat ad linguæ refrigerationem Luca 16. Terram item tenebrarum: ut pote quæ conuersa in fulfur, & torrentes ipsius in picem ardentem (ex Isaiæ cap. 34. versu 7.) est ad instar clicantis ignis (ex Psalm. 20. versu 10.) flammam intra se retinentis, ex fumi abundantia totam caliginosam & tenebrosissimam. Vmbra porro est mortis: quia cum ibi miseri maximos patientur dolores & angustias, iis comparandos qui acerbissimi contingunt morientibus; non tamen deo moriuntur, iuxta illud Apoc. 9. Desiderabant mori & mors fugiet ab illis. Vbi præterea nullus est ordo: quia omnia ibi geruntur cum deprauatissima voluntate. Semperternus quoque horror in habitat: ex peccatorum varietate, & ex tortorum scelerata, qui ex Jerem. cap. 16. versu 13. nullam dant requiem: & ex vocibus clamantium & ululantium præ dolore, ex Isaiæ cap. 65. versu 14. ac demum ex flammæ obferitate & timore cum formidine. Illic enim ignis crucians, non illuminat, nec metus amittitur, cum semper tolerari incipiat quod timebatur. Ad quam terram finali sententiâ Christi, relegandi sunt peccatores cruciandi cum Diabolo & Angelis eius Matth. 25. Denique confideranti à dextris quidem, ciues cælestes contra istos de ipsius statu perditionis: à sinistris verò, Dæmones tenentes ipsum captiuum ex eorum dictam maledictionis sententiâ. Quæ cum ita sint, atque aduersus talia contritio sit speciale ac singulare remedium: dubium non est quin maxime optabilis sit, gratissimaque debeat esse cuiilibet (iuxta Sapientis monitum Ecclesiastici, cap. 30.) Misericenti animæ suæ placendo Deo. Quod enim per eam possit peccator tot ac tanta incommoda euadere: constat ex diuino illo promisso Ezech. 18. Conuertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.]

## Quam facile ex contritione effecta illius sequantur. §. 2.

86. **I**am vero facilitas, cuius meminimus euadendi poenam æternam per contritionem, declaratur exemplo illius qui in scelere deprehensus à Iudice, sine tergiversatione damnatur morte, & constrictus vinculis ad patibulum ducitur. Semper enim sumus in conspectu Dei, siue bene siue male agentes iuxta illud Psalm. 118. Omnes viæ n. e. in conspectu tuo: sicque comprehensus in operibus manuum suarum peccator (Psalm. 9. versu 17.) sine tergiversatione mortis sententiâ accipit iuxta illud Ezech. 18. Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Et illud ad Romanos 8. Stipendia peccati mors. Atque peccatorum suorum quasi funibus constrictus peccator Proverb. cap. 5. ad patibulum, quod tanquam aliter Aman sibi in inferno erexit, ducitur; supplicium ignis æterni subiturus: quod sine difficultate euadere potest contritus, dicente Deo Ezech. 18. Si impius egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis vita viuet & non morietur.

Faciliorem quoque gratiam & alla diuina dona ac merita perditâ recuperandi per contritionem, ostendit parabola de prodigo Luc. 15. cui pater poenitenti, & ad se reuertenti obuiauit dato amplexu; stolam primam, calceamenta in pedibus, annulum in manu dedit. Sic enim Deus peccatori verè poenitenti restituit gratiam cum donis supernaturalibus eâ comitantibus, & meritis bonorum operum antea factorum in gratia. Quæ de re in tomo opusculorum, opusc. 5. Sicut et: in qua immorati non est presentis instituti. Facilitas demum vitam æternam post admillum peccatum consequendi beneficio contritionis, illustratur exemplo illius, cui cum pinguisimum beneficium Papa pollicitus esset, si bene se gereret in suo obsequio; aliquid comisit, propter quod illi mutauit eam suam voluntatem: qui tamen eidem proponit optionem, ut si de tali offensa dolgat ex animo, emendationisque firmissimum propositum cõcipiat, fruiturus si promisso. Cuiusmodi optionem peccatori poenitenti Deum similiter dare in ordine ad regnum cælorum, satis indicat verba illa Domini nostri Matth. 4. Poenitentiam agite, appropinquauit enim regnum cælorum. Et illa Ecclesiastici 12. Altissimus odio habet peccatores, & miseretur est poenitentibus; restituendo scilicet eos suæ gratiæ, ut tandem faciat participes suæ gloriæ: iuxta illud Psalm. 83. Gratiâ & gloriam dabit Dominus: non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia.]

## De vtilitatibus contritionis. §. 3.

87. **Q**uod attinet ad vtilitates contritionis eæ sunt: tum quæ etiam memoratæ, ex quibus tanquam præcipuis, & cetera in ipsius dignitate: tum alia multa eisdem conueniunt. Contenti citius tres referre. Prima est, repurgationis animæ à peccatorum sordibus & corruptione: unde ceteri potest contritio, fons ille potens domui David in abluitionem peccatorum: de quo Jerem. 13. & comparari illi amaræ potioni quæ datur infantibus ad repurgandum vermium stomachum ipsorum: aut etiam mari cædauera proficienti ad littus. Cui vtilitati alia duplex maxima, coniuncta est; tum vtilitas fieri habitatio Spiritus sancti, quæ erat Dæmonis, ex cap. Resuscitatus De poenitentia distinet. i. tum vt cum remissione peccatorum consequatur restitutionem præcedentium meritorum. Opus enim Diaboli non est fortius & efficacius opere Christi. Si ergo peccatum destruit gratiam & charitatem cum omnibus præcedentibus meritis: deletio quoque peccati, quæ opus Christi est, peccatum ipsum sic destruit, vt simul reparat quidquid per illud fuit perditum. Hinc in libro De vera & falsa Poenitentia cap. 14. tomo 5. operum D. Augustini dicitur: Pium est credere vt receptâ Dei gratiâ, quæ in Poenitente destruit mala priora etiam remuneret bona: vt cum destruxerit quod sanum non inuenit, amet & diligit bonum quod etiam in peccante prius plantauit. Figura eius rei habetur in eo quod Ioclis 2. ait Deus: Reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus & æru-go.]

Vtilitas secunda est, quod contritio extinguit inferni incendium iuxta illud ante citatum ex Ezech. 18. Conuertimini & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Tertia est quod aditum aperiat ad gaudia regni cælestis iuxta illud Matth. 5. Beati qui lugent quoniam ipsi consolabuntur. Et illud 10. annis 16. Tristitia vestra vertetur in gaudium. Et illud Psalm. 125. Qui seminant in lachrymis in exultatione metent. Euntes ibant & flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos: quod est facientes fructus dignos poenitentia, repositam habere æternorum gaudiorum mercedem iuxta illud Isa. 61. Spiritus Domini super me &c. Vt poterem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu, pallium laudis, pro spiritu meroris.]

88. **N**eque est quod quis rem tam salutarem fastidiat ob molestiam tristitiæ quàm habet coniunctam: quia si talis molestia quotidie suscipitur pro damnis temporalibus quibus nullum adfert remedium, quis eam suscipere recuset ad tot ac tantas vtilitates consequendas: quot & quantas adfert contritio, præsertim cum sufficiat talem tristitiam esse in

voluntate; nec necesse sit redundare in sensum, vti in præcedentibus docuimus. Accedit quod non desit consolatio Spiritus sancti mouentis & adiuuantis nos in tam salutari opere, ex Concil. Tri. *sess. 14. cap. 4.* ita vt dicere liceat ex *Psalm. 93.* Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo consolationes tuæ edificauerunt animam meam.

De Dissuadenda Penitenti contritionis dilatione.

SECTIO. III.

89. **P**ertinet tertio ad propositam Confessatij prudentiam, vt cum inuenit Penitentem bene quidem affectum ad contritionem; sed illius executionem velle diutius differre: deinde ipsum mouere, ad statim exequendam. Tum ex eo, quod indignum sit, stare Christum ante ostium nostrum, sen expectare nos vt miseretur nostri, *1. Sato. 30.* nosque miserose negligere tantam misericordiam. Tum ex eo quod temerarium sit vibratum in te gladium atque tunc sensum (ex *Psalm. 7.*) non statim declinare, sicut & ignem te corripientem non statim exutere. Ne tardes inquit *Sapiens Ecclesiastici quinto.* conuertere ad Dominum & ne differas de die in diem: subit enim veniet tibi illius. Et Dominus *Matth. 24.* Estote parati quia nescitis qua hora filius hominis venturus sit. Et *Luc. 12.* Quod si dixerit seruus ille in corde suo, moram facit dominus meus venire & cepit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit, & diuidet eum, parte inque eius cum infidelibus pone. Neque dicas (vt monet *Sapiens in cit. 5. Ecclesiastici*) Misericordia Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur: misericordia enim & ira ab illo cito proxima, & in peccatores respicit ira illius. Neque etiam nequam sis, quia ille bonus est, misericorditer te expectans ad penitentiam; ac etiam vtgens per immisiones morborum aliarumque incommoditatum huius vitæ: & terrores futuri iudicij, dando nobis significationem vt fugiamus (quod per contritionem fit) a facie arcus ex *Psalm. 59.* tanquam misso Angelo qui districto gladio nos a via nostra peruersa reuocet ad instar Balaam, de quo *Numerorum cap. 22. & 2. Pet. 2.*

90. Tum etiam ex eo quod perniciosum sit in foribus peccati diutius hæere: quia talis longior mora difficiliorem reddit reuerfionem ad Deum per penitentiam. Cum enim longè sit a peccatoribus salus] *Psalm. 118.* peccatum est quasi ventus contrarius, longè expellens a portu salutis: & quod grauius est, aut iteratur sapiens, eo longius expellit, & regressum facit difficiliorem. Ad quod pertinet illud *Ierem. 13.* Si mutare poterit Ethiops pellem aut pardus varietates suas, & vos poteritis bene facere, cum didiceritis malum. Tum præterea, quod peccatum disponat ad facilius labendum in nouum peccatum; quasi abysf] in innocente abysf]um, & sanguine sanguinem tangente. Ad quod facit illud *Psalm. 68.* Apone iniquitatem super iniquitate eorum. Facit etiam illud quod *D. Paulus in c. 1. ad Rom. de gētilibus* habet: ac illud *Apoc. 22.* Qui in foribus est, fordescat auit. Quibus accedit, quod excluso Spiritu sancto & Dæmone dominare in anima, talis mora viam munit (eodem Dæmone satagente) ad duritiam cordis: iuxta illud *Proverb. 18.* Impius cum in profundum venerit peccatorum contemner.]

91. Tum denique ex eo, quod si miserabile in regno sit, Regem potentissimum habere in sensum, grauisf] supplicia in ferre parantem, nihil de illo placando curare & oblaa commodare: longè miserabilis sit Regem Regum sic habere iratum, vt statuat illa punire æternis suppliciis, supra quam cogitari potest grauisf]is: & nihilominus negligere oblatam de presentem occasionem (expectatam futuram omnino incertam) reconciliandi eum sibi per contritionem: De qua *Psalm. 50.* Cor contritum & humiliatum Deus non despicias. Certè per mortem tollitur omnis talis occasio: quandoquidem solum tempus huius vitæ, est tempus obtinendi a Deo misericordiam & liberationem a reatu æternæ damnationis: cui obnoxij sunt, qui se addixerunt Diaboli seruituti. De qua *Ioannis 8.* Qui facit peccatum seruus est peccati, 2. *Pet. 2.* A quo quis superatus est, eius & seruus est. Tollitur, inquam, omnis talis occasio, quia in morte ex *cap. 11. Ecclesiastici*: si ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, in

quocumque loco ceciderit, ibi erit. Hortat igitur Apostolo *ad Gal. 6.* Dum tempus habemus operemur bonum, & maxime bonum contritionis, per quod a Deo in animam cætera deriuantur.

92. Nec finamus nobis illud à Diabolo, qui solet ab illius saluberrimo vsu eos quos captiuos tenet auertere obrudendo conuiuiorum, ludorum, chorearum aliorum que id genus oblectationes: cum quibus contritioni tam vacari non potest, quam nemo potest simul flare & forbere, vt habet prouerbium. Quia in re idem facit callidus hostis, ac faceret is qui detractam puero pretiosissimam gemmam, pomum ne fleat offerret, non dando in manu sed ostendendo à longè Ingerit enim recordatio: em prateritarum voluptatum temporalium, per quam fastidium inducit æternarum: sicut memoria carnum & cæterarum rerum quibus Israëlitar] vsi fuerant in Ægypto, illos fecit fastidire manna suauissimum, quo alebantur, & abicere desiderium terræ promissionis *Num. cap. 11.* cum quo fastidio inducit penitentię horrorem, qualem iidem Israëlitar] habuerunt deserti, per quod iussu Dei eundum illis fuit ad terram promissionis.

CAPVT SEPTIMUM.

De ratione exercendi contritionem.

SVM MARIVM.

93. *Speñtancia ad exercitium contritionis de peccatis mortalibus*  
 94. *Ratio rite fructuoseque ralis exercitij persiciendi.*  
 95. *Ratio exercendi contritionis de venialibus.*  
 96. *Peccatorum venialium indignitas perniciofa.*  
 97. *Qualiter oporteat de peccatis venialibus coram Christo confundi.*  
 98. *Ratio trine tunc sonis pectoris, dicendo mea culpa, &c. in signum contritionis.*

**P**ertinet adhuc ad propositam Confessatij prudentiam non tantum vt suum Penitentem ad contritionem exercendam excitet, sed etiam cum opus esse viderit, instruat de ratione illam exercendi: de qua id eo dicemus, & paucis. Contritio igitur vel habenda est de peccatis mortalibus vel de venialibus.

Ratio exercendi contritionem de mortalibus. §. 1.

93. **S**ide mortalibus; primo relinquere oportet affectum peccati. Secundo sumpto tempore locoque idoneo, petere à Christo gratiam recordandi ac cognoscendi peccata à nobis commissa, de illisque dolendi. Tertio reuocare in memoriam multitudinem eorundem peccatorum. Quarto indignitatem & perniciem illorum (de quibus in præced. c. quinto) ponderare: simulque de illis dolere propter Deum, & veniam petere, cum spe eam obtinendi, & cum proposito non relabendi siue in eadem, siue in alia mortalia: ac de eis suo tempore confitendi & pro eis satis faciendi.

94. Ad ista autem rite peragenda & fructuose, iauerit prouidere Christum ante conspectum nostrum: & contritionem (quæ donum Dei est, vt habet *Concil. Trident. sess. 14. cap. 4.*) ab eo petere cum animi demissione. Deinde concepta fiducia de ipsius misericordia, erigere mentis oculos ad ipsum qui ex *Sapien. cap. 11.* diligit omnia quæ sunt & nihil odit eorum quæ fecit] intendo quantopere peccatum oderit: ad eo nimirum vt voluerit creaturas suas præstantissimas, tam Angelos quam homines ob ipsum, grauisf]is addictas supplicij æternis. Tertio cõsiderare quod vt ab eis dem supplicij nos eriperet, pro iis satisfaciendo diuin] iustitiæ, misericordissimè dolores immensos ac mortem acerbissimam perferre voluerit. Denique ex tanta erga nos misericordia, qua nobis suo sanguine gratiam promeruit, & peccatorum remissionem: eredi in spem & desiderium liberationis ab æterna illa miseria: ipsum liberatorem nostrum magno amoris affectu complecti: vt redemptorem, satisfactorè & aduocatum nostrum: atque ipsam gratiam & peccatorum remissionem petere instanter, quam non negabit bonus pastor qui perditam ouem quæ fuit, humerisque fuit imposita in ouile reportauit *Luc. 15.* Cui petitioni comitè adiungere oportet considerationem, qua coram ipso Christo, confundamur erubescences de misero nostro statu: perpendentes, quid perdiderimus per peccatum mortale: nempe Deum bo-

norum omnium fontem, eternam felicitatem, atque adeo nos ipsos. Quid acquirerimus; nempe eternas inferni penas cum animæ morte in eo peioris conditionis, quam beatæ effecti: ut pote duplicis mortis rei, cum illæ vni tantum sint obnoxie. Expendendo præterea summam peccati: tum indignitatem, de qua antea num. 59. & alioque sequentibus tum etiam ingratitude nostram qua peccato, iniquissime insurreximus aduersus Deum optimum maximum, ac sanctissimum, & in nos beneficentissimum: tamque nostri amantem, ut pro nobis mori dignatus sit, cui proinde tanquam munificentissimo benefactori, gratiam refert, & tãquam principi summo, obsequium & honorem deferre omnino iure debuit: peruersè autem ei obtulerimus ipso inspiciente: immo rursum in cruce egerimus, eiusque sanguinem conculcauerimus: ut pote id ageres, quod esset sufficiens causa mortis ipsius, & fructuum eiusdem, sufficiens impedimentum.

Ratio exercendi contritionem de venialibus. §. 2.

95. **C**um autem contritio habenda est tantum de venialibus; oportet primò diligenter capere ne nobis blandiamur, nec exuamus omnem affectum aut dispositionem ad illa, occasione dissimulando nec repellendo. Cuius rei gratia ad Christum recurrendum est, ut nobis det vires ad eam peragendam necessarias, & lumen ad delegendum, si quæ fraus forte lateat. Secundò intueri Christum ipsum tanquam exemplar & ideam puritatis, ac sanctitatis infinitæ; cui nihil tam contrarium sit & abominabile, quam peccatū etiam veniale: quod cum maculet animam, ad illius quoque delectionem, sanguinem suum fudit: ipse, qui ex cap. 5. ad Ephe. voluit exhibere sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam. Tertio intueri nos ipsos: expendendo primò peccatorum nostrorum varietatem & multitudinem: adde & alienorum, quibus cooperati fuerimus. Secundò quanta fuerit negligentia nostra & fociordia in illis cauendis, quamque facile & temere; immo per contemptum quodammodo. Et iudum commissa sint; etiam si nobis adfuerit sufficiens diuinitus notitia, cum diuinæ gratiæ impulsu: Internisue Spiritus sancti stimulis, ac externis adiumentis siue exemplorum bonorum siue sanctarum instructionum. Tertio quanta sit indignitas peccatorum etiam venialium; quibus Creator & Dominus omnium ac munificentissimus bonorum innumerabilium largitor offenditur per summam impudentiam & ingratitude, à vilissimo mancipio misero, miserabili paupere, cæco, & nudo: cui, ut pote tepido, minatur Christus, Apoc. 3. Incipiam te euomere ex ore meo. Adde & quibus in conspectu Christi inuerecundè pollutur maculaturque anima, pro qua mundana tantopere laborauit; tam multa docuit, instituitque tum verbo, tum exemplo: atque ex cir. cap. 5. mundatam lauacro aquæ in verbo vitæ, voluit mandam permanere in perpetuum: hæc est enim voluntas Dei ex priori ad thessal. cap. 4. sanctificatio nostra. Et quamuis peccatum veniale gratiam non adimat animæ, tamen tanquam displicens Deo, ipsam maculat ad eum modum quò filius coram patre maculam imprimens velti nouæ pretiosæ, quam idem vult seruari mundam. Quæ quidem displicentia tanti momenti est, ut nulla omnino de causa, peccatum quodcumque veniale censeatur licitum: ne quidem ad liberandum ab interitu totum mundum: quia scilicet est contra Deum infinitum, omnibus rebus præferendum. Quibus denique tanquam fordibus contaminatur templum sanctum Dei, quod sumus nos ex priori ad Corinth. cap. 3. vnde quasi contristato Spiritu sancto: qui, ut ibidem dicitur, habitat in nobis: charitas quæ per eum diffunditur in cordibus nostris ad Rom. cap. 5. refrigerat, & reliquæ diuinitus infusæ virtutes, non modo non augentur sed etiam opprimuntur: impeditur ne erumpant in præclaras actiones: neque illas mitant, nisi remisse, languideque, & veluti exangues quosdam fœtus. Præterea ad illuminationes & afflatus eiusdem Spiritus, atque monita Angeli cultodis excipienda sciendaque redditur animus durus & seznis: ac etiam redigitur in angustias quasdam tenebrarum, & molestiarum ac solitudinum, assidue spinarum instar pungentium: efficiturque obnoxius pœnis grauissimis purgatorij in futura vita: in præsentem verò, omnis generis tentationibus in poenam

nostræ fociordie: ob quam Diabolus permittitur nos aggredi audacius, siue sollicitando ad peccata mortalia, ad quæ venialia ipsa procliuem parant lapsum, iuxta illud Ecclesiastici 19. Qui spernit modica paulatim decidet] siue iniuciendo scrupulos anxietate sue animi, quibus pax illius turbatur, quam vitæ puritas gignit: siue reddendo grauem & molestant, immo & vilem vitam spiritalem: quam cum suauem, amabilem & honorabilem reddat feruor amoris Dei, peccatum veniale diminuens ipsum, conuenienter disponit animum ad spiritualis vitæ fastidium & contemptum.

Postremò oportet quasi rursum conuersis ad Christum oculis, coram illo confundi de tam exiguo nostro profectu, ac tanta nostra paupertate: cum in suis donis erga nos adeo liberalis fuerit, condemnantes, nostram ignauiam, per quam tam sterile sumus & frigidi, ut nos non fœcundet, nec calefaciat sanguis Christi cum tanto feruore super nos effusi: postque tot accepta beneficia, adeo infideles sumus, & sine affectione tum erga Deum, quem frandamus debito obsequio & gloria: quæ ex vitæ nostræ puritate illi accessisset; tum erga Sanctos in cælo regnantes, quos priuamus gaudio quod capiunt ex sancta nostra conuersatione: tum erga animas in purgatorio detentas, quibus non detulimus expectatam & expectatam à nobis operam; tum demum erga proximos adhuc viuentes, quos malis exemplis remorati sumus in via salutis, cum debuerimus memores mortis acerbissimæ à Christo pro illis obire, scdulo operam ponere in iuandis ipsis per preces, exhortationes, & exempla ad progressum in eadem via faciendum: id quod peccata etiam venialia impediunt ut pote quæ faciunt preces languidas, cohortationes frigidæ, & vitam dissolutam & incompotam. Cum tali autem confusione oportet Christum ipsum intueri tanquam fontem omnis bonitatis, & misericordiæ abyssum, ab eo; per ipsius ac Beatæ Virginis, aliorumque Sanctorum meritum, petere aquam illam viuam (de qua Ioan. 4.) non tantum sordes peccatorum mundantem sed etiam restinguentem sitim malarum propensionum nostrarum, quibus resistere oportet ad vitæ emendationem; cuius propositum firmum ita requiritur ad contritionem: ut sine illo nequeat ad Sacramentum peccitentia sufficere, ut constat ex Conc. Trident. sess. 14. cap. 4.

De trina rursus pectoris discendo mea culpa, & c. in signum contritionis.

### SECTIO. III.

98. **L**ocus hic exigere videtur, ut rationem reddamus communis vsus fidelium in Ecclesia, quo in signum interioris contritionis de suis peccatis, vtuntur illa repetitione verborum mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ad imitationem publican Luc. 18. tundendo pectus, in quo sedes est cordis: ex quo peccata provenire habetur. Matth. 15. vers. 19. & Mar. 7. vers. 21. Trina igitur repetitio verborum, cum trina pectoris rursus, ostendit detestationem omnium peccatorum, nascentium (ex primo Ioan. cap. 2.) vel ex concupiscentia carnis, vel ex concupiscentia oculorum, vel ex superbia vitæ (quæ est, provenire ex inordinato amore vel voluptatum, vel diuitiarum vel honorum) & perpetratorum vel cogitatione, vel verbo, vel opere, idque vel contra Deum, vel contra seipsum, vel contra proximum. Quam detestationem comitemur dolor de amissa Dei gratia in præsentem vitam; & gloria cælesti in futura: deq; obligatione ad inferni supplicium. Quo dolore tam iusto percussit, confitentes aduersum nos iniustitiam nostram Domino, vt remittat iniquitatem peccati nostri, dicimus mea culpa: quia Dei & Spiritus sancti dona perdidit. Mea culpa: quia omni merito me spoliasti & me potestati Diaboli subdidisti. Mea maxima culpa: quia reatum æternæ damnationis cõtraxi & inextinguibili igni ardoribusq; sempiternis me addidisti, auditurus tremendam illam Christi sententiam. Ite maledicti in ignem æternum: priuatus dulcissima Sacrosanctæ Trinitatis visione, & suauissima societate Beatissimæ Virginis & Sanctorum omnium. Non despero tamè, sed quamuis pauper & debilis, ac supra modum grauatus & infirmus, in lacu miserie & luto fœcis mersus, iratūque habens peccatis meis Deum & Sanctos: recogitabo cum Ezechia (Ex Isaiæ cap. 38.) annos meos in amaritudine animæ meæ: dicens mea culpa Deus. Item cum Davide ex Psalm. 6.



Lanabo per singulas noctes lectum meum, lachrymis stratum meum rigabo, dicens mea culpa Deus: dimittam cum *S. Job. cap. 10.* Aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dica in Deo, Mea maxima culpa. Peccauit enim cum Rege Manassè super numerum arenæ maris, & non sum dignus intueri altitudinem cæli, præ multitudinem iniquitatum mearum, quia excitavi iracundiam tuam & malum coram te feci. ] & cetera que in ipsius oratione habentur addita ad libros Paralipomenon.

CAPVT OCTAVVM.

De prudentia Confessarij in expendendo Penitentis proposito non peccandi de cætero, nuuandi, que ipsum aduersus reciduum.

SVMMARIVM.

- 99 Expendendum esse à Confessario propositum Penitentis.
- 100 Propositum Penitentis ut capax sit absolutionis, non tantum debet esse vitandi peccatum mortale, sed etiam occasionem ex qua illud securum probabiliter creditur.
- 101 Recidisse in peccatum non est signum impenitente sufficiens ad denegandam absolutionem.
- 102 Quod procedit etiam in eo qui pluries recidit, dummodo aliqua sit emendatio, aut emendationis inchoatio.
- 103 Praxis à Nauarr. tradita quoad versantem cum persona que illi est occasio peccandi.
- 104 Remedia aduersus reciduum.

99. Ad hanc Confessarij prudentiam pertinet, ut quia contritio cum deestitatione & odio peccati requirit propositum firmum emendandi vitam, & abstinendi pro virili ab omnibus peccatis saltem mortalibus, proque commissis satis faciendis: um Deo, tum proximo per ea læso: Confessarius petat (si non apparet factis) An habeat tale propositum: si que deprehenderit non habere satis firmum: neque ipsum satis paratum esse ad peccatum aliquod mortale relinquendum, vel illius occasiones proximas, vel ad refarciendum notabile damnum proximo à se iniussè illatum: conetur quantumque poterit accommodata ratione (maximè virgendo peccati indignitatem & penitenciam, ut supra cap. 5.) animam ipsius Christo lucrifacere: si que nihil possit efficere, non absoluat sed dimittat ad imitationem dicentium *ierem. 51.* Curauimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam] Attamen prius monitum de malo statu in quo permanset, & adiuncta exhortatione, qua excitetur ad vacandum bonis operibus, & ad cauenda peccata ut præparetur ad receptione diuinæ gratiæ, per quam ex illo statu perditionis emergat, antequam omnem emendandi facultatem mors adimat.

Proponentem verò serid peccata relinqueret, consolari oportet, proposita spe remissionis illorum per susceptionem Sacramenti, in quo Dei misericordia per meritum passionis Christi supplebit, quod ex parte ipsius defuerit: dummodo studeat facere quod in se est: & præsertim sincerè integrèq; confiteri de omnibus, de quibus sentit conscientiam suam grauam: dolensque de illis ex animo propter Deum, concipiat firmum propositum deferendi peccati statum.

100. Quo quidem proposito carere censendus est, non modo is qui in aliquo mortali peccato sibi complacet, sed etiam is qui aliquam occasionem peccati mortalis non vult deserere: si infirmitatis propriæ sibi conscius, dubitet aut credat vel debeat probabiliter credere, se in peccatum mortale prolapsum eã vitando: nempe quia didicit experientiã, se non subsistere datã eiusmodi occasione, sed statim aut quasi statim cadere. Hoc annotans Caiet. in *Summula verbo periculum*, addit nullam ne cessitatem vitandi tali occasione, vincere obligationem abstinendi ab ea: cum ex *Eclesiastici cap. 3.* Qui amat periculum in illo peribit ] & dicat Dominus *Math. 5.* Si oculus tuus dexter scandalizate, erue eum & proiice abs te &c. ] Vnde quod Nauarr. habet in *Enchir. cap. 3. num. 5. litera f.* posse absolui adulescentes, qui versantur inter mulieres, emendo, vitando, & conuersando absque cohabitatione illarum in eadem domo: etiam si nolint à tali conuersatione abstinere, quæ illis sæpe fuit occasio mortaliter peccandi verbis, aut tactibus impudicis, aut etiam copula: hoc, inquam, & quodcumque simile,

in quo ibidem memoratus auctor facit libertatem absoluedi, sic temperandum videtur, ut minimè procedat quando Penitens expertus est, se tali occasione data, statim aut quasi statim cadere: nisi accedant nouæ rationes & circumstantiæ ob quas rationabiliter sperare possit se non peccaturum etiam tali occasione data. Confirmatur per illud, quod Nauarr. ipse habet *ibidem lit. D.* occasione in propinquam à qua Penitens necessarid debet abstinere, ut absolui possit: esse non tantum eam quæ peccatum est mortale, sed etiam eam ex qua, benè perpensis occurrentibus circumstantiis, credit aut credere debet Confessarius, Penitentem statim nunquã illã vitando esse sine peccato: inter quas circumstantiæ si quæ valeat ad id persuadendum, maximè valet hæc: quod Penitens expertus sit se tali occasione statim aut quasi statim cadere. In illo enim (isto posito) nequeunt concurrere quatuor illa, quæ idem quoque Nauarr. *ibidem* adhuc, *lit. E.* requirit, ut absolui possit ille, qui non vult relinquere occasionem peccati mortalis: quarum prima est, vera penitudo peccatorum. Secunda verum propositum nunquam redeundi ad illa. Tertia propositum semper, cum Dei auxilio, cauendi ne peccetur tali occasione occurrere. Quarta notabilis causa (verbi gratiã, pro subleuanda inopia, vel pro vitando scandalo, aut alio eiusmodi) non abstinendi se à tali occasione: nequeunt, inquam; quia saltem quoad secundam, eum qui nõ vult relinquere occasionem, quã datã sæpe expertus est se statim, aut quasi statim peccare, manifestum est non habere verum propositum nunquam redeundi ad peccatum. Et quoad tertiam probatur: quia non canetur sed admittitur peccatum, subeundo tale periculum; de quo, si de quoquam alio, merid intelligitur illud ante citatum: Qui amat periculum in illo peribit.]

Parti altera capituli, De prudentia nuuandi relapsum in peccatum.

101. Notandum est ex Nauarr. in cit. cap. tertio num. 5. lit. I. si quis in idem peccatum reciderit, non esse illi eo solo nomine absolutionem negandam, tanquam impenitentis: quia recidisse in idem peccatum, non est argumentum necessarium defectus veræ Penitentia, sed signum infirmitatis. Vnde communiter absoluntur semel in anno confitentes, si nullum aliud adferant impedimentum, quantumuis in peccata de quibus confessi erant recidisse deprehendantur. Procedit autem istud ex eodem Nauarr. etiam amfi confitens nolit abstinere ab eo quod fuit ei occasio recidendi: ut conuersatio cum aliqua persona, aut aliud simile dummodo nõ sit aliquid de se mortale: aut non sit occasio propinqua peccati mortalis, seu quã datã statim aut quasi statim cadatur in mortale, interueniantque quatuor circumstantiæ antea memoratæ ex Nauarro ipso.

102. Procedit etiam in eo, quibus, ter, aut sæpius recidit: argumento eius, quod non tantum semel aut septies sed septuagies septies in nos peccanti parcendum sit. *cap. septies De Penitentia distinct. 3. ex Matth. cap. 18 & Luca. 17.* Attamen ex eodem Nauarr. *ibid.* non videretur absolendus Penitens reciduius, tanquam non dans signum sufficiens propositi firmi non peccandi de cætero, si nulla emendatio neque emendationis inchoatio præteritis vicibus in eo extitisse obseruaretur: aut si infirmitas imbecillitasque illius, aut ingens propeusio ad peccatum aut externæ occasiones recidendi persuaderent nullam securam emendationem.

103. Vbi nota praxim, quam idem addit pro casu difficili & satis frequenti, ut cum Penitens occasionem habet recidendi ex cohabitatione seu conuersatione cum aliqua persona, iubendum esse illi antequam absoluitur, ut forti, Christianoque animo dicat eidem personæ, cum qua male versatur, & peccat: sibi denegari absolutionem nisi separentur: proinde vehementer obsecrare per Deum, ut in eant rationem, qua honeste separentur. Quo peracto (inquit ille) absoluerem concurrentibus quatuor antedictis circumstantiis, & postea quamuis non sequeretur separatio, si tamen sequeretur notabilis emendatio, absolueret spe maioris correctionis futuræ, commendata re Iesu Christo Domino nostro, & vitando prudentia ac circumspectione varia, quæ debet ob varietatem circumstantiarum adhiberi: proposito ante oculos, primum remedio spirituali animarum, deinde etiam

honoris & bonorum temporalium quantum fieri posset. Hæc ille. Quibus exemplo tanti viri Confessarij in magnis & quotidianis difficultatibus uti non est inconueniens: dummodo procedatur cum illa cuius meminit circumspectione. & concepto timore quem tale negotium exigit; in quo Medicus ægrum suum occidendo, seipsum simul occidit: se-  
cus quam accidat in curatione corporali.

Remedia aduersus reciduum.

104. **P**orro aduersus reciduum adhibenda remedia, hæc ex Gersono commemorat Polancus in direct. cap. 3. art. 2. & cum eo Iacobus à Graphijs lib. 1. decis. aurearum cap. 29. Primum est sequenti die cum recidere contigerit, ieiunare in pane & aqua. Secundum recitare certum Psalmorum numerum. Tertium aliquid charum, vel certe aliquam pecuniam dare in elemosynam. Quartum confiteri intra triduum post peccatum commissum. Quintum cum succumbendo re-  
tationi contigerit confessus in peccatum, flexis genibus ad misericordiam Dei consequendam aliquas orationes dicere: aut certe, ut Iacobus à Graphijs attigit, cum cæterorum præsentia id impedit, saltem manu ad pedes ad mota (quod fieri potest alijs non aduertentibus) dolore. Sextum reciduum iuxta conditionem ipsius, & peccatorum grauitatem, vltra penitentiam, quam pat fuerit impositam, iniungere aliquid recitandum, ut Pater & Ave: aut aliquid huiusmodi, in memoriam gratiæ resurgendi à Deo per Sacramentum obtenta. Septimum addi potest ex Nauar. in Enchir. cap. 26. nu. 25. ut contra tentationem peccati in quod relabi contingit, imploret diuinum auxilium per preces alicuius Sancti, qui virtute contraria plurimum erudit: & ut firmiter proponat ac etiam interdum voueat, saltem ad tempus, se illam vel illam penitentiam facturum, si adhuc relabatur: tanquam sibi legem imponens, quâ seipsum coerceat ac sibi met terrori sit: quasi Dei autoritate gladio accinctus ad pugnam, pro tuendo ipsius diuino honore aduersus proprios affectus: scilicet eos per Penitentiam mortificando. In qua pugna, difficultas illa occurrit, quod is impugnandus sit, qui diligitur, iuxta illud ad Ephes. 5. Nemo vnquam carnem suam odio habuit, sed fouet & nutrit eam. Verum amore coronæ gloriæ & timore gehennæ talis difficultas facile superatur, dum simul in mentem venit, quod regnum celorum vim patitur & violenti rapiunt illud. Matth. 11. Quodque non coronabitur, nisi qui illegitimè ceterauerit. 2. ad Timoth. 2. Itemque veniunt præterea Sanctorum exempla, qui cum tanta austeritate vixerunt: ac etiam exempla illorum, qui mundanam militiam sequuntur, in quâ tam multa incommoda. & plerumque inani spe fulti perferunt. Non voueat autem, se nunquam tale peccatum admitturum, aut se ingressurum religionem si admittat: argumento c. Clericos, de cohabitatione Cleric. & mulierum: in quo prohibetur ne Clerici concubinarij per iuramentum compellantur concubinas dimittere. Ad necessarium autem auxilium diuinum obtinendum, iuuerit petendo illud, humilitatem exercere (si tempus & locus patiantur) flexis in terram genibus coram imagine Crucifixi, detestando nostram erga ipsum nequitiam & ingratitude: atque si placet osculando terram ipsam à qua sustulit, nos reddidimus indignos. Etenim cor sic contritum & humiliatum non despiciet Deus. Addi potest ad extremum consideratio, quod cum turpitudine & pernicijs peccati omnem aliam superet, (ut satis patet ex antedictis num. sexagesimo & aliquot sequentibus) quiddam tamè adhuc vilius & peius inesse censetur in relapsu, quam in peccatis prius commissis, iuxta illud Ierem. 2. Quam vilis facta es, nimis iterans vias tuas. & illud Prouer. 26. Sicut canis qui reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam suam. & illud Domini Matth. 12. & Luc. 11. Fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus.]

### CAPVT NONVM.

De prudentia Confessarij in tranquillando Penitentis animo agitato scrupulis.

#### SVM MARI VM

105 Libertinis viles sunt scrupuli, timoratis perniciosi.

- 106 Damnaque scrupuli adferunt.  
107 Preparatio ad diuinam gratiam per confessionem sacramentalem, humilitatem, & timorem Dei.  
108 Aduersus scrupulos medicina: lectio librorum piorum.  
109 Oratio cum ieiunio & alijs bonis operibus, maximeque sacrosancta Eucharistia sumptio, aduersus scrupulos generalis medicina.  
110 Pharmaca aduersus humores iudicium debilitantes, si inde scrupuli prouenire obseruentur.  
111 Sequi prudentiorum & bonorum iudicium, remedium est aduersus scrupulos accommodatum.  
112 Est item secundum idem iudicium, & nonnunquam secundum proprium, scrupulos impugnare ac repellere.  
113 Contemnendos esse insurgentes scrupulos.  
114 Agendum esse contra scrupulos, nec cedendum esse illis per pusillanimitatem.  
115 Ratio robotandi animum contra pusillanimitatem.  
116 Ratio qua agendum est contra scrupulum.  
117 Quales medicine qualibus scrupulis curandis conseruantur accommodata.  
118 Duo scrupulorum prima genera, & due prime cause.

**P**ræter munera Iudicis & Patris, Confessarij erga Penitentem debet munus Medici exercere, ad quod pertinet imprimis mederi illius morbis: hoc est (cum hi sint peccata & scrupuli) illum & à peccatis per applicationem remedij ad id instituti à Deo, reddere liberum: & per salutare commonitiones scrupulis agitarum, reddere tranquillum. De quorum priorè illud tantum occurrit monedum in presentia, tale remedium, esse Penitentia Sacramentum: ad cuius salutarem usum requisita, partim tradita sunt hæcenus, partim deinceps tradentur suis locis. De posteriore vero specialiter nunc acturi, persequemur rationem, qua positi animo scrupulis vexato tranquillitas adferri. Quæ ratio duplex est, vna generalis seu quæ vsui esse potest in omnigenere scrupulorum, & altera specialis diuersi. Scrupulorum generibus accommodata: illam trademus in hoc cap. & hanc in sequenti.

Præmittendum est autem, his quidem qui laxioris sunt conscientia, nec perniciosam peccandi libertatem (aut potius seruitutem) adhuc à se depulerunt, viles esse scrupulos, qui eorum conscientiam constriquant, vt tandem ad mediocritatem traducantur. His vero qui non ita laxam habent conscientiam, sed puritati imprimis dant operam, idque omni ope & studio adnituntur vt Domino Deo placeant, vehementer obstant scrupuli; faciunt enim vt sæpius peccent, quam alioqui peccarent. Nam in iis quæ indifferètia sunt, qui libere vitur conscientia minus peccat: quia multa ex illis, immo & ex malis aliquæ, sæpe sibi licere existimat: vnde quia non agit contra conscientiam sæpe excusatur. Qui verò arctam nimis & infirmam habet conscientiam, de omnibus ferè dubitans, sæpe agit contra conscientiam, quod est peccatum; ideoque ille frequentius peccat, quam faceret si libere vteretur conscientia.

Perturbant præterea scrupuli mirum in modum quietos animos, eisque suauem Spiritus dulcedinem, & pacem eripiunt; ita vt plurimum alacritatis & promptitudinis seruendi Deo, merore depereat; atque cum orandum est, meditando, legendum, studendum sese offerentes scrupuli, in rem propositam, attentè incumbere non patiuntur. Scrupulis quoque ita sæpe turbatur rationis iudicium, vt mens prius hebetat, ac etiam de statu suo dimoueat: corpus item adeo vehementer commoueat, ac cerebrum ita agitur, vt homo interiores suas ineptias exterius prodatur, seque alijs ridendum exhibeat, ac in constans idem effectus, modò susceptam actionem, ob nouum aliquem scrupulum, intermittat; modò ob contrariam dubitationem resumat. Itemq; pusillanimitatis effectus, si concionandum vel docendum, vel ad Dei gloriam aliud agendum sit, difficultatibus occurrentibus se impugnari permittens, sic expugnari; vt nusquam in conspectum hominum venire audeat, reddaturque ad omnia ineptus, qui sine scrupulis, multa præclara eniti posset, donis naturalibus & præfidijs plurimis instructus. Quod notatum est à Gersono in tract. de diuersis Diaboli tentationibus. Aduersus hæc agitur & alia graua

incom-

incommoda, aliquot animi scrupulosi, quasi medicina salutare traduntur à Diuo Anton. 1. part. 10. 3. cap. 10. §. 10. & à Caiet. & Syll. in verbo *Scrupulus* quest. 3. & à Nauarr. in *Enchir. cap. 27. num. 282. & nonnullis sequentibus* & à Cordubensi in *questionario lib. 3. quest. 13. & 14.*

107.

Prima est, debita preparatio ad diuinam gratiam obtinendam, quâ interius foueatur, ac roboretur animus. Preparatio autem est, vt idem animus à peccatorum fordibus purgetur, confessionis sacramentalis quasi scopis. In maleuolam enim animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. [Sapientia 1. Itemque exorietur quasi aulatis, tum humilitatis, quia Deus superbis refistit, & humilibus dat gratiam.] *Iacob. 4. tum timoris Domini, quia initium sapientiae timor Domini* [Psal. 110. Atque ea quae ad fructuosè instituentiam confessionem requiruntur traduntur in sequenti lib. quarto ex instituto.

De humilitate verò illud paucis monendum est: ex parte quidem intellectus requirere vt habeas firmiter persuasum, te imbecillum esse ad omne bonum inchoandum & perficiendam, nisi gratia Dei te antuectat & manu ducat iuxta illud Domini. *104. 15. Sine me nihil potestis facere*] & illud Sapientis *Proverb. 16. Cor hominis disponit viam suam, sed Domini est dirigere gressus eius.* Ex parte verò voluntatis requirere vt soli Deo optes, gloriam & honorem, teque coram illo prosternas toto animo & affectu, ad instar Seniorum qui *ex cap. 4. Apoc. adorabant viuentem in caecula saeculorum*, & mittebant coronas ante thronum dicentes: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem & virtutem.* Atque inter cetera, ad eam acquirendam misericordè iurare, si nobis ob oculos ponamus vitam Christi & mores Sanctorum iam cum ipso regnantium: facta enim illorum cum nobis comparatione, facillè perspicimus quam longe à Christiana perfectione absumus & quantum ad eam consequendam egeamus speciali Dei auxilio.

De timore autem Dei monendum est, ipsum conseruare eam munditiam, quae per sacramentalem confessionem acquiritur. Nam iuxta illud *Psal. 111. Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis eius uolet nimis*] continet animam in obseruatione diuinorum mandatorum, instar calcaris scilicet, quo virgetur ad executionem bonorum quae Deus praecipit: & instar freni quo retrahitur à perpetratione malorum quae Deus prohibet. Illam verò foueri in animis nostris imprimis consideratione nouissimorum id est mortis, & supremi iudicii, aeternorumque suppliciorum, adeo vt illa cuius meminimus, conseruatio mundicie animi, tribuatur tali considerationi cum dicitur *Ecclesiastici 7. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in aeternum non peccabis.* Quibus adde cum Caiet. in verbo *Scrupulus*, illum non disponere se vt par esset, ad obtinendum aduersus scrupulos supernaturale auxilium, qui peccata etiam tantum venialia parripendit: quoniam non est mirum illi deesse angelicam custodiam ad perueerandum, qui sibi deesse parripendit.

108.

Secunda medicina est sacra lectio: ad quam D. Paulus hortatur discipulum suum. *Timotheum, in priori Epistola cap. 4. inquit, Dum venio attende lectioni.* Quamuis autem per lectionem sacram, praecipue intelligatur lectio librorum sacrae Scripturae diuinitus inspirata: eo tamen nomine hic etiam intelligitur lectio aliorum librorum piorum ab Ecclesiasticis doctoribus conscriptorum ad rectam morum informationem: proposita in exemplum Christi & Sanctorum vitâ, traditisque documentis vtilibus ad illuminandos mentis oculos, vt in agendis cernant vitij turpitudinem, & virtutis honestatem, ac Daemonis in fallendo versutiam, arteque varias, additis considerationibus accommodatis inflammandae voluntati, ad tenendam constantem angustam salutis viam. Quae medicina, dispositio est praecedentis ad effectum suum consequendum. Non est autem temere vsurpanda, sed cum ea moderatione, vt delectus librorum habeatur iuxta cuiusque caput & aegritudinem animi; nec delecti legi debent cum curiositate discendi; sed cum desiderio bene agendi: quoniam illo modo lectos non iuuare obseruatum esse experientia, monet Diuus August. in libro De opere Monach. cap. 17.

Tertia medicina est deuota oratio: quam D. Anton. annotat valere praecipue ad tollendos scrupulos, prout proueniunt extentione Diaboli. Nam quod Diabolus in lunatico sanato à Christo *Matthaei 17. corporaliter gessit, quandoque in ignem & quandoque in aquam illum proiciens, idem spiritaliter gerit in scrupuloso, eum transferens ex vno scrupulo in alterum contrarium. Quare quod ibidem Dominus dixit, Hoc genus Daemoniorum non eicitur nisi oratione, & ieiunio] locum habere quoque potest in eiectione Daemonis agitantis animum scrupulis: ita vt merito deuota oratio ponatur inter scrupulorum medicinas. Requirit autem deuota oratio vt efficax sit. Primum vt nihil Deo indignum in ea petatur; quale est quid turpe, aut vile non reatum in debitum finem. Secundò, vt fiat per Christum, id est, vt non petamus quasi facti nostris meritis, sed meritis Christi: per quem vt ait Apostolus ad *Ephes. 2. habemus accessum ad Patrem. Tertio, vt fiat cum animi auersione à peccato, iuxta illud *Psal. 65. Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiet Dominus.* Et illud *Isaie 1. Cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam dicit Dominus, quia manus vestrae sanguine plene sunt.* Quarto, vt cum fiducia petamus nihil habere auctores *ex cap. 1. Epist. D. Iacobi. Humiliter enim confidendum est Deum daturum quod petimus, si nobis expediat. Quintò, vt feruenter & perseveranter petamus: quod indicatum est à Domino per parabolam de eo qui media nocte ab amico petiit commodato tres panes, quos prius recusatos obtinuit perseverans pulsando & petendo.* *Luc. 11.***

Ad orationem autem recte adiungi ieiunium satis indicant citata Domini verba. Hoc genus Daemoniorum non eicitur nisi in oratione & ieiunio. Similiter (quod habet Caiet. in verbo *Scrupulus*) recte adiungi alia bona opera, tam propria quam aliena, dubitari non potest: inter quae merito commendatur imprimis frequentatio Sacrosanctae Communionis: quae praeter cetera quibus hominem cumulat commoda, robore spiritali complet animam ipsius, prout mysticè significatum est *Regum 19. per panem subcineritium, in cuius fortitudine Elias ambulauit quadraginta diebus & quadraginta noctibus: vt viretque Diaboli tentantis enervat, vt indicatur per illud *Psal. 22. Parasti in conspectu meo, mensam aduersus eos qui tribulant me.**

Quarta medicina, sunt pharmaca quae ab arte medicinae praescribuntur aduersus melancholiam: & alios humores iudicium debilitantes: si quidem scrupuli inde proueniunt deprehendantur. In quam sententiam D. Antonius dictum accipit *illud Ecclesiastici 38. Altissimus creauit de terra medicinam, & vir sapiens non abhorrebit illam: admonens tamen non expedire ad conscientiae sanitatem, medicinaliter in omnibus viuere, cum (vt ex D. Ambrosio habetur, in cap. *Contraria de Consecrat. distinet. 5.*) Contraria diuinæ conditioni sint praecipua medicinae, quae à ieiunio reuocant, lucubrare non sinunt, ab omni intentione meditationis abducunt: ita vt qui se medicinis dederit, seipsum sibi abneget.]*

Quinta medicina (quam Gerson saepe inculcat in tertia parte suorum operum) est iudicio Sapientiorum, etsi Praelati Superiori esse non sint, suum iudicium humiliter subicere. Ea autem hunc sensum habet (vt Cordubensis exponit in citata quest. 14. vers. *Quintus modus*) vt scrupulosus debeat, exercendo humilitatem Deo acceptissimam valdeque meritoriam, subicere suum iudicium, non solum obedientiae iudicioque suorum Superiorum, sed etiam sapientiorum & bonorum virorum; & secundum illud quantumcumque sibi aliud videatur; captiuando intellectum formare conscientiam, quod liceat sibi id agere quod illi iudicant licere. Nam quamuis, ne quidem ad imperium Superioris, liceat alicui vilo modo illud agere quod aperte cognoscit illicitum esse: illud tamen de quo dubitat, nec sibi satisfacere potest, agere ei licet deposita dubitatione & turâ conscientia sibi formata ex superiorum aut etiam ex aliorum sapientiorum ac bonorum consilio. Ratio est: quia cum nobis non sufficimus, rationabiliter confugimus ad sapientiores, & eos sequimur, quemadmodum indicat Scriptura, cum vna ex parte admonet *Proverb. 3. Ne innitatis prudentiae tuae.* & ex altera *Tobia 4. Consilium semper à sapiente petquire. Et certe qui hanc medicinam respueret, ceteris fructuosè*

109.

110.

111.

vi non posset: quia in moralibus omnia particularia debent ex generalibus regulis dirigi secundum iudicium prudentis seu viri docti ac bene ad ipsa particularia affecti. In quo vsu ruti sunt imprimis Religiosi, qui obligantur suis superioribus, in dubio obtemperare, *vt recte videt Gerson aduersus professum inobedientem ex verbis Domini Luc. 10. Qui vos audit non audit, & qui vos spernit me spernit.* Et vt idem habet in lib. 4. De consolatione Theologiae prosa 3. lit. II. Religionum instituentiarum principalis causa fuit autoritas regiminis, cui magis obedientia praestaretur, quam propriae rationi, quae in plurimis valde dubia est de blis & incerta.

112. Sexta medicina (quam multis etiam locis in tertia parte Gerson habet: *vt in tract. De meditatione. Alphab. 68. lit. P. & in tract. De remediis contra pusillanimitatem. Alphab. 69. lit. vlt. & in tract. De diuersis Diaboli tentationibus. Alphab. 70. lit. Q. & in tract. De remediis contra spiritum blasphemiae. Alphab. 71. lit. N. O. P.*) est animosa impugnatione & repulsiōe scrupulorum, ac pusillanimitatis facientis hominem his obnoxium. De qua repulsiōe (ciaccommodantes illud *1. a. 35. Dicite pusillanimitas confortamini & nolite timere*) duo post eundem Gersonē D. Antoninus Syluest. & Cordub. tradunt *his antea num. 106. in fine, citatis.* Vnum est illam debere fieri ex illorum consilio, quorum iudicio praecedens regula praescribitur submittere. Quamquam tamen (vt Sylu. addit & Cordub. approbat) quisque eam tuā conscientia facere potest ex proprio consilio, quando probabilem sufficientemque rationem habuerit, quod ita facere possit, quodque ipse (si aximē si doctus sit) ita alteri consulet et in simili negotio: nam tunc quoque ageret cum morali certitudine: quod sufficit ad excusationem à peccato. Alterum est talis repulsiōis modum esse: praenotiam dicto prudenti consilio, tum contemnere scrupulos, tum etiam contra eos agere.

113. Contemnere quidem quia *vt ex eodem Gersonē D. Antoninus habet,* mille surgunt apud aliquos scrupuli more canum oblatantes, & lacerare minantes eos qui volunt ire per viam Dei, quos conuincere ac compescere melius quam per contemptum nequeas. Et ratio est quia sic surgunt operante Diabolo qui *vt ex D. Greg. addit D. Anto. similis est myrmicoleon,* qui cum infidetur formicis, ipsaque occidat (vnde nomen accepit) ceterorum animalium grandiorum pedibus conculcatur & attritur. Diabolus enim eos pusillanimes sunt, & ad ipsius insultus facile pauent, quasi formicae haerentes animo, scrupulis obiectis solet obruere. Dum enim cogitationem non auertunt à re de qua scrupulus iniicitur (vt Caiet. in verbo *scrupulus* obseruat) ex illo vno scrupulo multi sequuntur non secus ac in latebris ordinare haerentibus, moto vno, alij cadendo sequuntur: ita vt animum ipsam in quem cadunt facile obruant. Ab iis vero qui iuxta diuum Petrum *m. x. sua epist. cap. 5. illi resistunt fortes in fide, contemptus & quali pedibus ipsorum prostratus, au fugit:* iuxta illud *D. Iacobi cap. 4. Resistite Diabolo & fugiet à vobis.*

114. Contra scrupulos autem oportet agere, quia vt qui nauigare non audeat, cum saepius superato illo timore, nauim conscenderit, & maria tranauerit, navigationis pericula amplius non pertimescit: vt etiam qui sub trabe aliqua vel saxo pendenti transire timet, etiam si alios transire videat, vbi semel iterumque ac tertio transit, metum omnem deponit: ita qui saepius audacter contra scrupulos agit, percipit se tandem nullo modo moueri iis quibus antea terrebaratur. Roborandus est igitur animus aduersus pusillanimitatem, quae hominem reddit obnoxium scrupulis, in iisque ingerendis seruit Diabolo, qui proinde eam fouet, eique vires addere solet in homine pauido, obiectu naturalium quos patitur defectuum (quemadmodum notat Gerson in tract. De remediis contra pusillanimitatem *Alphab. 69. lit. vlt.*) vsque adeo, vt interdum faciat ipsum extraneum esse, nisi que fortiter resistat, semel aut iterum superato, vix deinde posse curari, adducere ad inanem timorem deponendum. Et ita nonnunquam notantur aliqui eò pusillanimitatis deuenisse, postquam Daemone difficultates obrudenti cesserunt, oppugnatione se expugnari permiserunt: vt malint quiduis potius perperci, quam in publicum prodire ad docendam, vel aliquid simile agendum.

115. Roborandi autem animi aduersus pusillanimitatem, prae-

dicti auctores rationem hanc tradunt: vt quemadmodum is qui vult lignum curuam reddere rectum, debet ipsum re-torquere in partem oppositam curuando: ita qui vult rectam facere conscientiam scrupulis distortam debet agendo contra eosdem scrupulos, eam inflectere in partem oppositam. Istud est quod tum ex iisdem auctoribus, tum ex aliis quibusdam habet Nauarr. *ad cap. Si quis autem De Peniten. distinct. 7. num. 63. vult sanctumque esse scrupulosos frequenter & fortiter contra suos scrupulos agere; tutiorem etiam partem omitendo, vt animae tranquillitate sibi quaesita, sedato & integro pectore, Christo seruiant, Christum ament & colant.*

116. Quod tamen, vt idem admonet in seq. num. 78. intelligendum est, non vt id quod minus tutum esse faciant animo suo dubitante, An id tutum sit necne; sed vt primum credant illud ipsum minus tutum, satis tutum esse, etiam si de eo scrupulum habeant, aliudque tutius sit, a quo adeo ipsis occurrant argumenta in contrarium, & apparentiae quibus satisfacere non possunt: dummodo pro se habeant sufficientia argumenta rationabiliter credant, ac in eis maneat moralis certitudo. Quam non tolli necessarium, per apparentiam oppositi argumenti, quod non possit soluere patet ex eo quod etiam aliquando patiamur apparentias contra fidei articulos, quas soluere non possumus, non desinamus propterea habere certitudinem fidei de illis, neque propter dubitemus: cum aliqui esse mus infideles iuxta illud in *cap. X. De haereticis. Dubius in fide infidelis est.*

Septimam medicinam memorati auctores consiliunt interpretationem legum benignam: *De qua suo loco in tertia parte. Tomo primo:* eoque necesse est in ea nunc haerere quia respectu habito ad scrupulos Medico potius, quam agro praescribitur vt de se patet.

117. Caeterum vt in corporali, sic in spiritali medicina principio habendum est, vt sub initium tractatus De remediis contra pusillanimitatem attigit Gerson, contraria apte adhiberi ad contrariorum curacionem: variaque antidota variis morborum generibus accommodanda esse, spectando cuiusque morbi causam. Vnde si raris scrupuli sit aliquod argumentum, ad illius curacionem adhiberi poterit quinta medicina ante tradita de sequendo iudicio prudentiorum. Si vero causa scrupuli sit corporis male affecti, ac cerebri propterea perturbati vitium, is sanandus est remedio quartae medicinae ante traditae: hoc est remedio pharmaceutum, & aliorum quibus curatur corpus. Sin autem sit tentatio Diaboli applicanda est tertia medicina de uocata orationis, vt iam ex Diuo Anton. attigimus. Sin ex consuetudine vitiorum aut lectione librorum scrupulosoform, ab ea abstinentum est. Sin ex ignorantia; legendum, conferendum, consulendum, ac prudentioribus obtemperandum. Sin ex inconstancia in rebus agendis, assuescendum est, id quod semel recte deliberatum fuerit, constanter exequi, nihilque dubitatione contraria moueri: quod est, in remedium sumere sextam medicinam ante traditam: cui ne moderatio ex Nauarr. addita desit, cauendum est: itaque scrupulosoform Confessario danda est opera, vt non timide, sed fidenter absoluteque praecipiant illis id, quod est agendum. Nam si Medicus medendo vacillauerit, non poterit esse in agro securitas: si quidem iuxta cuiusdam Poetae dictum dubia salutem qui dat afflicto, negat. Sin autem ex vehementi imaginatione oriarur scrupulus, auertenda est ab huiusmodi cogitatio, & paulatim desuescenda Phantasia, vt non ita laxi habentis feratur, nosque nolentes rapiat. Si denique ex nimia sollicitudine cauendi omne id quod malum est, aut ex indiscreto puritatis studio, vel inordinato Dei timore; considerandum est nos non posse sine speciali Dei auxilio bene agere: ac magna ex parte tales scrupulos ex eo oriri, quod nimium nostris viribus fidamus, nec diuinam operam satis imploremus, nec ad ipsius misericordiam satis attendamus, illudque nimium expendamus, nec Deum tyrannum esse, nec nos esse Angelos.

118. Iam cum scrupuli sint varij; & eorum quidam pertinaciter ad ea quae facta sunt; quidam vero ad ea quae faciendū sunt illis prioribus solet homo vexari praeterit ex eo, quod sepe inter se sum & consensum nequeat satis distinguere:

vnde fit vlt in multis sic agatur, vt se putet tunc mortaliter peccasse, cum nullum peccatum admittit: suspicans nimirum, se non solum sensisse sed etiam consensisse; vt cum passus turpem cogitationem, turbatur quod se in eam consensisse existimet; quam turbationem Demon videns, conatur quantum potest eam augere. Posteriores vero scrupulis vexatur homo vno fere modo: dum nimirum habet omnia suspecta: ideoque non agit libere, sed trepidat, ignorans An id quod agendum est peccatum sit necne. Quod quidem non tantum ignarus sed etiam doctus solet interdum accidere: qui sciunt quidem in genere iudicare quid sit vel non sit peccatum: quid peccatum mortale, & quid tantum veniale: imo & in particulari tale iudicium quoad alios fere sciunt; sed quoad se ac suas actiones singulas, eadem libertate vti non possunt: vnde & ipsi turbationes, non secus ac ignari, patiuntur: siue in loquendo, siue in agendo dum subinde suspicantur in verbis suis inesse vel mendacium, vel detractionem: & in factis defectum debitum circumstantiarum.

## CAPVT DECIMVM.

De specialiratione tranquillandi animum certis quibusdam scrupulis agitatum.

## SUMMARIUM.

- 119 Scrupuli de cogitationibus sedæ libidinis vel blasphemie vel infidelitatis & de moribus ira, vel inuidia, vel odij cum remediis quibus curandi sunt.
- 120 Eorum primum est considerare quod peccatum mortale requirit deliberatum consensum.
- 121 Alterum remedium, tales scrupulos contemnere.
- 122 Tertium, occasiones illorum auferre, sequæ Deo & Sanctis commendare.
- 123 Quando & qualiter de talibus scrupulis confessorio fieri valeat.
- 124 Scrupulis agitati labens in aliquod peccatum mortale, debet per veram Penitentiam considerenter recurrere ad Dei misericordiam.
- 125 Scrupulus vexatorum inani suspitione, quod in agendo peccarint mortaliter: & illius remedium.
- 126 Quædam qua possunt talibus inculcari ad ipsorum consolationem.
- 127 Scrupulus vexatorum inani dubitatione, An de peccatis sufficientem dolorem habeant, aut sufficientem emendationis propositum atque illius remedium.
- 128 Scrupulus vexatorum inani persuasione, quod suas confessiones debite non fecerint: illiusque remedium.
- 129 Rationes quibus sic vexati induci possint ad deponendam anxietatem iterandi confessiones iam factas.
- 130 Scrupulus vexatorum anxietate nimia confitendi peccata venialia: & remedium.
- 131 Scrupulus vexatorum quod non recordentur, An aliqua sua peccata in suis confessionibus expresserint.
- 132 Scrupulus se in oratione vocali vexantium iteratione eorum que dixerunt, quasi non dixerint attente, aut non protulerint plene.
- 133 Item se vexantium quod nesciant, an aliquid de suis precibus omiserint.
- 134 Scrupulus eorum qui vexant se, eo quod in suis orationibus & pijs exercitiis non sentiant consolationes.
- 135 Scrupulus quo aliqui vexantur sumpturi Sacrosanctam Eucharistiam tanquam indigni, quantumcumque non sint sibi conscij peccati mortalis: & ad se disponendum, quam potuerunt diligentiam adhibuerint.
119. **V**SVS nobis propositus exigit vt non contenti communibus, descendamus ad specialia, in quibus ille maxime consistit. Consequenter ergo antequam ad alia veniamus, tradendus est modus tranquillandi animum agitatum certis scrupulis, quos augendo Dæmon solet vexare hominem: & qui præter generale remedium, requirunt aliquod speciale. Illorum autem varietas sunt species.
- Prima frequentior est cogitationum sedæ voluptatis, quæ non modo placentes, sed etiam displicentes sæpe in a-

nimum in se ingerunt, eamque ita occupant, vt is tanquam de consensu sibi conscius excrucietur.

Secunda rarior quidem sed molestior, est cogitationum blasphemie aut infidelitatis, quas Dæmon subito obrudit, ita vt quis videatur audire alique maledicentem, vel seipsum inuoluentem ac dicentem, Ego Deum nego, Dæmoni me de se: vnde turbatur quasi Deum vere negauerit, aut Dæmoni se dederit cum tamen abhorreat maxime à talibus.

Tertia est subitorum motuum impatientie, vel iræ, vel inuidie, vel odij: ex quibus dum tentatio iurandi aut verberandi aut conuitiandi suboritur, consensus præberi videtur, mensque turbatur non satis distinguens voluntatem subreptitiam à deliberata. Ad quorum omnium curationem eadem remedia accommodari possunt, quæ ex variis Gersonis tractatibus Cordubensis habet in *questionario libro 1. question. 14.*

Primum est, vt qui talibus scrupulis à Dæmone vexantur 120. considerare debeant nunquam esse peccatum, saltem mortale, in huiusmodi cogitationibus horrendis nisi cum voluntas plene consentit, illave amplectitur cum delectatione deliberata: gaudendo eas adesse; quod patet ex communi doctrina in tertia parte suo loco tradenda de ratione iudicandi de peccatis ex parte causæ efficientis. Imo cum displicent, nec eis consentitur, sed potius animum pulsantibus resistitur, imputantur ad meritum propter difficultatem & molestiam quæ sustinetur eis resistendo. Ex talibus enim consideratione intelligent se non debere inquietari, nec animo frangi sed acrius, & fortiter pergere in via Domini, eo quod tanquam hosti suo deficiant arma fortiora quibus grauius sauciantur, sordibus horrendis quidem nihil tamen aut parum lædentibus ab eo imperantur.

Alterum remedium est, tales scrupulos spernere, nec illis 121. suggestionibus turbari, quasi consensus illis adhibitus sit. Nam si quis aduersus eas disputare velit, & nouas rationes querere, quibus in illis, aut id genus alijs conscientia sua quietam reddere velit; quæserit quidem, non in consensu: nouas semper difficultates offeret, et erator callidissimus; tuncque maxime gaudebit, & se de eo triumphum agere existimabit, dum occupabit ipsum illis concertationibus inuolentibus, ad quas importunus vereratur tunc prouocat maxime cum diligenter & attente vel orare vel meditari vel Missam audire vel celebrare vel studere cupimus. At que ille quidem, qui in vita spiritali minime exercitatus est, vult cum eo congedi fixo pede: exercitatus vero & peritus harum versutarum, quasi talem oppugnationem non pateretur, rem opusque sibi propositum persequitur, securusque pergit; ac tentationem tanquam inavem canis latratum spernit; violenter mentem ab illa reuocando, & applicando ad aliud, aut certe illam negligendo perinde ac faceret, si quis ei narrans aut monstrans aliquid, quod audire vel videre dedignaretur, ad alia interim applicaret se auersa facie. Dolet enim superbus hostis dum se sperni videt, & ideo spernentem deserit, se contemni diu non ferens. Vnde videri potest vtile, vt qui oppugnatur dum solus est, interdum ad contemptum, verba hæc adiciat, quibus ipsum Dæmonem eiusque conatus se diuina misericordia fretum negligere confiteatur. Te tuaque artes pessime coluber nihil formido: ego, quod Deus permittit, tuam tentationem sentio, sed per ipsum misericordiam non consentiam: illam me affligentem patienter fero; quia iustum est, vt ob mea peccata affligat sicque purget, vt deinceps Deo meo placeam. Intellico me Christi militem, cum me rerum tam nefandarum tentationibus aggredieris, sicut illum in deserto, volens vt te adoraret anguis turpissime persuadere.

Tertium remedium est (quod Gerson expressit in tract. 122. de discretis exercitiis deuotorum) vt qui talibus scrupulis agitatur, tollat occasiones vel otij, vel negligentie, vel curiofitatis, vel alias si quas tales dat istiusmodi procellarum, atque signo crucis se muniat suspirando ad Christum, inuocando Beatam Virginem, sanctum Angelum suum custodem, ceterosque Sanctos, quos habet in speciali veneratione genu flectendo, aliudue signum pietatis exercendo, prout loci commoditas patitur, in euentiam mysterij contra quod forte tentatur; sique hæc non proficit, dolorem aliquem, cum discretione tam è sibi infligat; adhuc nihilominus per-

feuerantibus importunis eiusmodi tentationibus, patienter ferat: confidens per diuinam misericordiam, non solum ei non nocitoras, sed ad magnam coronam profuturas. Hæc Gerson. De peccatis autem venialibus quæ in tali pugna admittuntur, siue ex negligentia, siue aliunde oriuntur, admonet Cordub. penas illis debitas deleri per feruorem charitatis, cum quo in illa pugna Deo adheretur.

123. Nihil verò est, (vt Cordubensis monet) cur quis cum anxietate aliqua aut sollicitudine curet tales tentationes confiteri aut reconferri: nisi quod ex humilitate & timore conscientia, id interdum possit, dummodo faciat Sacerdoti discreti, & statum difficultatum distudicandarum perito. Nam scrupulosus prout solet, confitens leuiter accusando se de blasphemiis aut aliorum nefandorum peccatorum cogitationibus, incidere poterit in Confessarium indifferetum, qui non modo non leuabit ipsum, sed magis affliget, & in desperationem maiorem conijcet: vbi discretus faciet quod Gerson in tractatu de discretis exercitijs deuotorum, narrat fecisse Religiosum quemdam patrem in his rebus veratum, multa que experientia præditum, cui cum Monachus agitatus molesta blasphemiis tentatione, quam ob rerum fortia: em de regere non audebat, diuino fauente auxilio aperuisset, is subit. sic dixitque. Manum capiti meo impone; qua imposita subiecit se, in se totum illud peccatum eiusque pondus accipere: tantum daret operam ne ea res amplius eum anxium mortuumque haberet; quod cum ille vehementer miraretur, interrogauit Pater: An vnquam huiusmodi cogitationes ei placuissent: quo respondente se magnopere ab illis abhoruiss. Tu ergo, inquit, non eas agis, sed patris, & ita te fatigatum Dæmon vult in extremam desperationem inducere: Sicque factum est, vt Monachus ille diuina qua vexabatur molestia liberatus sit. Non debet verò de talibus scrupulis confitens descendere nimis ad particularia, quorum consideratione & commemoratione magis inquietaretur animus, sed summam referre & tangere quantum sufficit vt Confessarius intelligat eiusdem conscientiam mentem, animaque statum: exempli gratia dicendo in genere, aut super tali materia habui malas cogitationes, quæ per Dei gratiam mihi non placuerunt, nec eis deliberate consensu, licet forte in eis moratus sim, eas non repellendo tam cito quam debuim. A Idere etiam debet causam culpabilem ex qua prouenire potuerunt; verbi gratia ex curiositate, negligentia, otio, aspectu incauto, labore vel abstinentia indifferetia, aut huiusmodi alijs: ad plenioris culpæ scilicet manifestationem & certioris debiti remedij accommodationem.

Quibus adde bonum, vtileque esse cum consilio Confessarj: vbi quis iam percipit tales cogitationes à Dæmone suggeri, nullo modo de ijs confiteri, nisi certum esset de consensu illis præstito: aut quod maius est, de opere; id est, quod illorum interior motus exterius processerit in operationem: quæ raro aut potius nunquam, bonæ conscientia solet euenire: quod tamen quia euenire potest, habenda est memoria iustitia diuinæ ante casum, ad vitandum ipsum: sicut & diuinæ misericordia post casum, ad resurgendum.

124. Quæ misericordia tanta est, vt si quis commissis etiam totius mundi peccatis vniuersis doleret, se tam bonum dominum offendisse, firmiterque proponeret ab illius offensa abstinere; veniam & gratia abundantiam consequeretur: vt argumento nobis sunt illi, qui per talem Pœnitentiam ad Deum conuersi, euaserunt magni Sacti: vt constat de Magdalena. Vnde personas deuotas quas vrgentibus istiusmodi scrupulis contingit ex infirmitate labi in aliquod peccatum mortale, id agere oportet, quod solent pueri non satis fortes ad ambulandum, qui libentius ambulantes, sepe cadunt, nec per se resurgere valent: & cum nolint pertinaciter manere prostrati in terra, humiliter & confidenter ad piam matrem tendunt manus, vt iacentes leuet; quæ pro sua pietate materna illorum misera, statim accurrit: quod idem peccator Pœnitens à Dei bonitate debet maiore ratione (sine præsumptione tamen) sperare, ipso dicente Isai 49. Nunquid potest obliuisci mulier infansem suam, vt non misereatur filio vteri sui: & si illa obliuiscit, ego tamen non obliuiscar tui.]

125. Quarta species scrupulorum indigentium specialiter reme-

dio, statui potest eorum, quibus aliqui vexantur circa res à se gestas, dum obleues aliquas rationes suspicantur actiones suas peccata mortalia fuisse: ita vt propterea, communicare, aut celebrare non audeant, quin Confessarium a dierint: vnde sepe non redduntur tranquilliores, eo quod recedentibus à Confessario nouus statim suboriatur scrupulus, qui eos æquè ac prius inquietos facit. Ijs autem hoc morbo leuandis Gerson in tractatu de diuersis Diaboli tentationibus Alphab. 70. li. penult. remedium præscribit, vt imprimis debet inquirant, seduloque obseruent, ad quæ secundum suum statum obligentur, vel non obligentur sub peccato mortali: ac circa illa sibi à peccato solliciti caueant; ab eoque, si ipsis contingat, conscientiam emundare studeant; plus in re confidente in diuina misericordia, quam in vlla sua diligentia: atque considerando nulli ita præsumendum esse de sua munditia, vt existimet se aliquando præstare posse opera, quæ ex parte sua sint digna maiestate diuina: cum ex Isai cap. 64. quasi pannus menstruatus sint omnes iustitia nostre: ] aurim munem esse ab omni peccato, cum potius ex animo dicendum ei sit illud Psal. 142. Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens.]

Vt autem in tali inquisitione & obseruatione, sint tuâ conscientia, non est illis opus absoluta & infallibili certitudine: vt recte monet Gerson: sed sufficit moralis & humana, per prudentium & deuotorum hominum consilium, aut per iudicium propriæ rationis & sui Confessarj: iuxta antedicta nu. 111. Vnde cum moralis certitudo secum patiatur aliquam anxietatem, hæsitacionem, & suspicionem de contrario ex communi doctrina: non est cur quisquam se à cæpto ideo auocet, quod super eo sentiat aliquam formidinem: etiamsi (quod interdum solet agente Dæmone) id ita contingeret, vt in animo perturbationem & in corpore motionem, cordisque palpitacionem efficeret. Etenim si tali formidini cedat, nulla spes tranquillitatis & deuotionis obtinendæ ei relinquetur. Id autem quod in ea re plerisque scrupulosis nocet, est, quod optent omnia cum summa tranquillitate facere, ac frui statu qui non est præsentis vitæ, vnde si minima in contrariam partem imaginatio sese offerat, turbantur è vestigio, cum se spe sua, votoque frustratos esse aduertunt.

126. Quod autem attinet ad negligentias veniales & alia peccata venialia, quæ in tali lucta cum Dæmone committuntur, dum inconstantibus, impatientibus, querulis, fegnes, & tardi efficiuntur: Cordubensis in questionario, lib. 1. quest. 14. admonet solliciti quidem ea cauenda esse, sed sine anxietate & inquietudine animi, faciendo quod potest commode fieri, & reliquam misericordia Dei patris amantissimi humiliter committendo, cuius auxilio multo magis, quam vllis, nostris viribus aut industria nitendum nobis est; prout istiusmodi scrupulosus inculcat Nauarr. in Enchir. cap. 27. numer. 290. Ad quorum consolarionem istud quoque addi potest, sepe fieri vt tunc opera ipsorum magis Deo placeant, dum sunt cum maiore metu & reuerentia ac circumspectione, & humilitate. Immo afflictio quam patiuntur purge animum, augeatque meritum, ipsosque humiliores reddat, & diligentiores. Cum alias sepe contingat, vt qui nimis secundo vento feruntur, insolescant: & negligentes, incautique fiant, & imperfectiones suas emendare, & occasiones peccati vitare; Deique & Sanctorum auxilium implorare conueniant, vt tam sit his periculosa tranquillitas nimiam confidentiam generans; quam fructuosa illis est vexatio, sanctum timorem, & diuinæ Maiestatis reuerentiam in animo fouens.

127. Quinta species scrupulorum eiusdem modi, est eorum quibus homines animo vexantur nimis dubitando; An de peccatis commissis, tantum sibi displiceant, tantumque doleant, quantum tenentur, deque futuris cauendis sufficiens propositum habeant. Quibus tum idem quod præcedentibus adhiberi potest remedium: tum istud particulare ex Gerson. in tractatu de diuersis Diaboli tentationibus, Alphab. 70. li. 1. vt tentatione aliquos vrgente, quod non tam doleant de perpetratis peccatis, quam de iacturis aliquarum rerum temporalium, opponatur neque hominem posse, vt manifestum est, tantum actalem de suis peccatis dolorem habere, quantum

tum & qualem postulare diuinæ maiestatis offensā : neque esse necesse (vt verbis Gersonis vtar) corporalem de peccato dolorem tantum esse, quantum forsasse esset de morbo, vel de alio temporalis incommodo: quia sufficit peccatum commissum ita displicere homini, quillud commisit, vt nullatenus Deum in simili casu offendere vellet. De qua re plenius in sequenti parte cum de contritione. Maior autem ille dolor de temporalibus incommodis quam de peccatis, contingit ex parte sensus in quem illa cadunt, hec non item, sed tantum in intellectum, qui peccata i; si representās voluntari tanquam mala omnia maxima, facit vt supra quoduis aliud malum displiceant, quod sufficere potest.

Sivero tentatio in hac scrupulorum specie, aliquosideo vrgeat, quod non habeant tale actantum propositum cauēdi sibi à peccatis, vt malint mori, flammam, & aliæ id genus grauissima tormenta perpeti, & honoris ac bonorum omnium iacturam facere, quam peccare: Gerson in tract. 8. super Magnificas Alphab. 88. lit. O. præscribit non esse faciendas tales propositiones comparatiuas; neque si in animum se ingerat, illis respondendum detrimendo se ad alteram partem comparationis eligendam; quoniam ei, cui illæ ingeruntur, non adest casus in quo teneatur de præsentis facere alterutris electionem; vt ex eo patet, quod eam faciendū (prout idem Gerson recte notat in tract. de diuersis Diaboli tentationibus lit. X) exponitur periculo peccandi, siue in proponendo offendere Deum ad temporale aliquod incommodum vitandum; siue in præsumendo arroganter de se in contrarium, & quorum neutrum liceat. Itaque tacendum est, & alia ad diuertendos animus, aut ad summum vere & humiliter coram Deo dandum: si talis offerret se casus, scio quid tunc eligere deberem; quid autem eligerem nescio: nunc autem Deum meum per suam gratiam offendere nolo: & quod ad futurum quamuis meæ infirmitatis mihi conscius, non audeam, nec sine arrogancia possim dicere quod diuus Petrus. Etsi me oportuerit mori et cū, non te negabo] tamen confido in Domino, quod non me parietur tentari supra id quod possum, sed faciet cum tentatione prouentum] ipse cuius oculi viderunt imperfectum meum, & cuius salutaribus præceptis moniti audeamus dicere, Ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo] adiutor erit in opportunitatibus in tribulatione.]

26. 28. Sexta species est eorum scrupulorum, quos nonnulli patiuntur circa confessiones suas grauissimos & molestissimos, dum nunquam putant se satis perfecte & integre confessos, eo quod aliquam circumstantiam vel peccatum, aut omiserint, aut non satis dilucide expresserint: ita vt confessiones crebro repetant, & de eodem peccato sæpe confitentur, se suosque Confessarios fatigantes dum trepidant timore, vbi non est timor.]

Pro remedio autem (ex Gerson in tract. de remedijs contra pusillanimit. Alphab. 70. lit. B, C, & in tract. de diuersis Diaboli tentat. lit. Z.) talibus præscribendum est, vt cessent à reiteratione confessionis eorum peccatorum, de quibus An sint mortalia, vel An sint sufficienter à se confessa dubitant scrupulose, id est, sine probabilitate, notitiā ne sufficiente ad persuadendū sibi prudenter quod talia sint mortalia, vel quod in debitam de illis confessionem fecerint. Cessent, inquam, abiciendo se ad pedes diuinæ misericordix, cui principaliter, non autem diligentē nostræ, confidere debemus, quando agitur, vt te obtinenda gloria in futuro sæculo; ita & de obtinenda gratia & peccatorum remissione, in præsentem. Cum igitur certo aut probabiliter scierint aliquid mortale esse, de quo nunquam confessi sunt (vt si progressu temporis dum legunt, audiunt, discunt doctores effecti, vident multa mortalia esse, quæ prius iudicabant non esse) consentaneum est de talibus confiteri: alias vero vitanda ipsis est peccatorum repetitio in confessione.

27. 29. Ad quod vt inducantur inuabit illis proponere quod talis anxietas & inquietudo non iuuat, sed quadam ratione impediatur Dei in nobis habitationem per suam gratiam: quandoquidē vt recte argumentatur Gerson in dicta lit. B, factus est in pace loci eius] Ps. 75. immoderataque illa puritatis cura ac peccati nimis timor ei non placet; quia quamdiu Deum ita timemus, non videmur cum satis diligere, habentes ipsam de nimia seueritate suspēctum. Vnde fit, vt inani metu

concepto, minuatur fiducia accedendi ad ipsum, nobis tan-  
topere necessaria. Multo ergo fructuosior, Deoque gra-  
tior erit humilitas, qua se patri benigno totum committen-  
tes dicant illud Danielis 9. Non in iustificationibus nostris  
prosterminimus preces nostras ante faciem tuam, sed in misere-  
rationibus tuis multis.] Secundo quod stultum firilicem  
fatigare se in eo quod est sibi impossibile. Nemo autem per  
suam illam diligentiam absque speciali Dei reuelatione  
fit eo pertingere, vt certo & infallibiliter cognoscat se si ve-  
re ac sufficienter contritum, atque confessum esse de suis pecca-  
tis: vt in Dei sit gratia, cum dicat Sapiens Ecclesiasticus 9. Ne-  
scit homo vtrum amore, an odio dignus sit.] Tertio quod  
tali confessionis repetitione, non modo non fiant quietio-  
re & seclatore animo, sed vt ipsi experiuntur magis ac ma-  
gis perturbentur; sicut aqua cum est agitata si situlam qua  
continetur, sæpius loco moueas, non inde tranquillatur sed  
magis agitur. Quarto, quod ex Nau. in Enchir. cap. 21. nu.  
42. mortaliter peccet, qui semel bene factam peccatorum  
confessionē sæpius ob scrupulos ita repetit, vt vel se o-  
mnino periculo amentix, per nimiam de re tristis cogitationem, vel  
notabile scandalum præbeat Confessario, vel sibi infamiam  
inurat erga aliquem tertium. Et quamuis hæc pericula non  
adint, peccet saltem venialiter; quia teneatur procurare con-  
scientiæ tranquillitatem, quam talis repetitio impedit. Qui  
ergo huiusmodi est, semel bene confessus iudicio docti  
Confessarij, quiescere debet: nec per frequentes eorum-  
dem peccatorum confessiones, vulnus suum refricare ac re-  
nouare: neque quod bene sanatum est vlcus, amplius attingere:  
sed posteriorum oblitus ad anteriora se convertere, &  
de misericordia Dei benigne sperare, neque eam securita-  
tem querere, quæ in hac vita non habetur nisi accedat aliqua  
peculiaris reuelatio. Postremo si eruditus sit & bonæ con-  
scientiæ, monendus est, quod nollet in simili casu alteri da-  
re consilium illud, quod pro se capit; quodque non de-  
beat damnare prudentes ac pios viros, quos videt  
talibus rebus communiter non moueri. Certe si nol-  
let alteri dare consilium, quod pro se accipit, nec damnare  
alios qui illud non sequuntur, satis aduertere potest, se non se-  
qui illud ex recta ratione, sed ex aliqua inordinata passione,  
quæ si abesset, perinde recte certoque iudicaret, in suo ne-  
gordio, ac in alieno: vt bene canorat Caiet. in verbo Scrupu-  
lus. Neque vero consultum est cum eo multitudine ratio-  
num agere, nisi ad persuadendum vt sine discursu, quasi ca-  
priuato intellectu, omnē de scrupulis discursum abiciat: fe-  
re enim ea infirmitas animi est, quasi dolor quidam capitis,  
qui vt sanetur somnum & quietem requirit.

Septima species scrupulorum est eorum, quibus adhuc  
circa attinentia ad confessionem contingit scrupulosos inqui-  
etari dupliciter.

Vno modo sollicitudine nimia confitendi quæque pecca-  
ta venialia quibus salutare erit proponere, quod ex Concil.  
Triden. sess. 14. cap. 5. persuasum habere debeant, talia in con-  
fessione taceri sine culpa, delerique posse multis alijs modis,  
quos ex iure canonico collectos refert Hostiensis in sua sum-  
marum de Peniten. & remiss. §. De quibus peccatis: nempe digna  
Eucharistix sumptione, aquæ benedictæ aspersione, ieiunij,  
elemosinarum largitione, orationis dominicæ recita-  
tione, deuota peccatorum confessione. Proponi etiam poterit eis  
remedium à Gerson loco citato præscriptum vt iuxta di-  
ctum Sapiens in cap. 7. Ecclesiasticus, nolint esse iusti mul-  
tum, & abstineant à tali sollicitudine gerente in quietudi-  
nem Deo minime acceptam: iuxta illud Matth. 6. Ne solici-  
titudinis animæ vestræ &c.] neque prudenter susceptam; quan-  
doquidem peccatis grauioribus sigillatim & in particulari  
propositis, sufficere illis potest leuora in genere reserte  
succincte: multo magis in Dei misericordia confidendo,  
quam in vlla sua diligentia. Et certe vanam esse talem soli-  
citudinem ex eo patet: quod secundum communem Theo-  
logorum sententiā, in statu naturæ lapsæ, homini sine spe-  
ciali Dei priuilegio, omnia peccata venialia, vitare sit mora-  
liter impossibile.

Altero modo contingit scrupulosos inquietari ex eo quod  
non recorderentur, An hæc vel illa peccata in suis præcedenti-  
bus confessionibus expresserint: quibus curandis Caiet.  
verbo Confessio, expositione conditionis quintæ & Nauarr. ad cap. Si  
quis

quis autem Deponant. *distinct. 7. num. 77.* hoc remedium præscribunt: vt interrogentur de diligentia, quam confessuri adhibuerunt in recogitandis peccatis & in recogitatis integrè confitendis; si que inueniantur vsi mediocri diligentia, suadendum est illis vt deponant dubitationem (qua manente, inquit Nauarrus iterum confitendum esset) & se de illis confitendos esse cretant, hoc argumento: quod sapientioris & boni viri iudicio, diligentiam ad quam tenebantur posuerint in confitendo. Nec in care (inquit Caeter.) exponant se periculo grauis damni spiritualis nulla necessitate compulsi: quia cū laborent tali infirmitate, quæ in ipsis firmitatem iudicij circa rem propositam impediatur, vehementerque timoris perturbatio constantiam ipsis adimat, & tot dubitationibus opprimatur, vt rectè iudicare non possint: certè spiritualis Medici consilium illis sufficere potest ad moralem certitudinem & & turam conscientiam formandam.

132. Oðava species est eorum scrupulorum, quibus vexantur illi, qui nimium scrupulosi sunt in reiterandis orationibus vocalibus: siue totis, siue quoad aliqua verba, quasi non dixerint attentè, aut verba non protulerint plenè. Quibus Gerson in tractat. de remedijs contra pusillan. Alphab. 70. lit. B. ait præscribendum esse vt abstineant ab huiusmodi iteratione. Primò quia id non facit animum tranquillum, sed potius magis inquietum, vt experientia docet in ijs, qui tales iterationes multiplicant. Secundò, quia non conciliat attentionem, sed potius impedit. Nam tales, dum sic mentem anxie applicant ad obtinendam atceptionem, ipsi pro obiecto sibi attentionem ipsam constituunt: vnde fit vt magis euagentur, attendendo non ad verba quæ proferunt, sed ad attentionem quam imaginantur. Tertio, quia talis iteratio necessaria non est: nam vt oratio vocalis meritoria sit, & impetret apud Deum ex D. Thoma 2 2. *quest. 83. art. 13.* non requiritur vt per totam ei attentionem actualis adsit, sed sufficit vis primæ intentionis seu propositi, cum quo aliquis accedit ad orandum: dummodo tamen se ab attentione non distrahant sponte sua, aut per notabilem negligentiam: vt vsu venit (inquit Gerson,) hominibus, qui ex deprauata consuetudine ad omnia spiritualia pigri & ad euicte quæ carnis sunt prompti, tempore per solutionis horarum precum quæ illis non sapiunt, cogitationibus secularibus & carnalibus quibus oblectantur, animum pascunt; saepeque inter parinas animo versantur. Tales enim euagationes quæ proueniunt ex affectu vitiatò per demones artem adferente somnolentiam & fallidium in orando, non admittunt excusationem: sicut illæ admittunt, quæ proueniunt ex infirmitate: siue accidentali, vt in ijs, quorum modica & venialis tantum est negligentia: siue naturali, vt in ijs qui phantasias ita habent volubiles, vt velint nolint, ad leuem aliquem quasi venti flatum facillè à suo proposito ad alia distrahantur; quibus vt notat Cordubensis, melius est dolere humiliter de suo defectu, confidendo in misericordia Dei, quam iteratione animum inquietare.

133. Porro circa hanc orationum iterationem interdum contingit scrupulis angere aliquem, non iam quod sine attentione, aut non plenè profereudo orationes ipsas dixerit, sed quod an omnino dixerit non recordetur, vt accidit ei, qui cum peruenit ad laudes, non meminit an dixerit matutinum integrum: & in vespertis incepturus hymnum, non meminit an dixerit omnes præcedentes quinque Psalmos; & in Missa dicturus Euangelium non meminit an dixerit graduale: vel iam dicturus orationem Dominicam, aut sumpturus Sanctam Communionem, non meminit vtrum verba consecrationis protulerit super panem & vinum. Quo tempore ex Nauarr. in citat. numer. 77. & in præcedent. numer. 76. abstinere debet à reiteratione; & animosè ad sequentia pergere, si rationabiliter credat quod dixerit: vt potest ex eo rationabiliter credere, quod consueverit integrè dicere, nec aduertat quidquam vnde se à tali consuetudine defecisse iudicare debeat: non credenti autem quod dixerit, tale consilium ei dari non potest vt admonet idem Nauarrus. Et ratio est, quia non vt propriè scrupuloso sed vt dubio dari deberet consilium, iuxta ea, quæ dici solent de conscientia dubia tradenda suo loco in tertia sequenti parterotomo primo.

134. Nona species est eorum scrupulorum quibus nonnulli affliguntur, eo quod in suis orationibus & alijs pijs exercitijs, cor vt ipsis videtur habeant aridum, & deuotione erga

Deum careant: vt pote consolatione & suauitate, quam talia adferre solent desituti: inde enim suspicantur se peccatis aliquibus occultis inquinari, ac reprobos esse. Quibus Gerson in tract. de remedijs contra pusillan. & in libro 4. De consolatione Theologica, *prosa 3.* hoc remedium præscribit, vt attendant suauitatem consolationis in suis exercitijs, non censerit signum de se sufficiens & infallibile inexistens diuinæ gratiæ gratum facientis: quando quidem illam (vt exemplo Begardorum & quorundam aliorum Gerson confirmat) aut potius illius quandam speciem ex suis deliramentis hæreticos percipere contingit, in quibus non inuenitur gratia gratum faciens: cum impossibile sit sine fide placere Deo] *ad Hebr. 11.* Quare id fit Dæmone illudente ipsis ac transfigurante se in Angelum lucis: potest enim malignus hostis corporeas facultates quadam tranquillitate fouere, apparenteque voluptate delectare: in deque incautos eoque allicere, vt tandem secundum spiritualis quoque vires, multum inde gaudeant, magnaque consolatione fruuntur: ita vt vix credere possint, quin à Deo sit tanta suauitas. Cuius contrarium ex eo cognoscitur, quod per eam illi erigantur in superbiam, atque vsu in discretio seu potius abusu talis deceptoris consolationis, deiciantur in mala contraria virtutibus comitibus charitatis in separabilibus (sicut & charitas ipsa inseparabilis est à gratia gratum faciente) quas virtutes enumerat Apostolus in priori ad Corinth. 13. *illis verbis:* Charitas patiens est, benigna est, charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non querit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, cõgaurt autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.]

Alterum remedium est: vt attendant quod cum vera deuotio consistat in bona voluntate, qua homo paratus est, se sua que in se habet ad Dei obsequium, illiusque beneplacitum in omnibus sequi; dum quis opus pium exercens accedit in se talem voluntatem, quam non comitatur consolationis suauitate existimare debeat, id diuina dispositione contingere, ob maius sibi bonum; nempe sibi subtrahi consolationem, et esse ei occasio præsumptionis aut negligentia, aut vanæ gloriæ, aut aliter periculi peccandi, vel vt dixerit magis, dum quasi suis impensis militat seruitque Deo. Itaque totum diuinæ misericordiæ committere, & humiliter de illius auxilio confidere debet, faciendo quod in se est, simulque petendo consecrationem & augmentum concessæ bonæ voluntatis; ac demum sentiendo de illo tanquam de patre amantissimo & nostræ utilitatis studio fissimo, iuxta illud *Isa. 49.* Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vt veri sui; & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.

Tertium remedium est vt attendant tempus istud esse ferendum; non metendi: ad erit tempus retributionis bonorum operum: in quo inebriabuntur ab vbertate domus Domini, *ex Psalm. 35.* Item in maiori periculo versati fruuentem dulcedine deuotionis, quam illum cui denegatur, cum de illa confidens imperfectum suum confidere negligat, & ob suam præsumptionem fiat à Deo remotior potius quam propinquior. Contra verò aridus contendens ad deuotionem cum sui abnegatione, & diuinæ misericordiæ magnificatione, ob suam humilitationem poterit Deo acceptior esse, dummodo contendens non negligat facere quod in se est.

Decima species scrupuli est, qua iij vexantur qui etiam post factam quantà potuerunt diligentia confessionem de peccatis suis, refugiunt tanquam indigni, sumete sacrosanctam Eucharistiam, eo quod Apostolus in priori ad Corinth. *cap. 11.* de sumente illam indignè dicat; quod iudicium sibi manducet & bibat non diuidians corpus Domini.

Pro remedio autem ex Gerson. in tractat. de preparatione ad Missam, proponendum est ad Sacramentum illud omni veneratione & reuerentia dignissimum fructuosè sumendum, non requirit certitudinem, speciali Dei reuelatione tibi euentem, quod sis in Dei gratia: immo ne si quidem talem haberes, deberes te iudicare dignum tali sumptione, sed adhuc cum Ceteratione dicere: Domine nõ sum dignus vt intres sub rectum meum. Sufficere igitur potest certitudo moralis, seu quod accedens à tantum Sacramentum sumendum, tãram



diligentiam posueris in repurganda conscientia, quantum adhibuisses in opere faciendo, ex quo maximum lucrum expectares; sic ut nullius peccati mortalis non expiari te conscientiam sentias: & quodcumque a te prius commissum sic detestaris, vt firmissimè proponas nullatenus de cetero succumbere iuuante diuina graua: quæ ipsa Eucharistiæ sumptione tibi accrescet, roburque ad resistendum fortiter tentationibus addet tibi bona fide agenti; neque in te suscepturo, neque in Sacerdote ministraturo, impedimentum vllum siue peccati siue censuræ Ecclesiasticæ cognoscenti: atque adeo nihil obstat quominus à diuina misericordia expectes eiusdem sumptionis vberem fructum. Nec te moueat quod carne pugnante aduersus spiritum, te sentias aridum, dummodò voluntate sincera deuotionem desideres & ad eam seclò contendas. Deus enim qui audit desiderium pauperum ex Psalm. 9. nos nostraque iudicium secundum liberæ nostræ voluntatis arbitrium: non autem secundum ea quæ nobis inuitis & contradicentibus caro sensualitate ingerit, qualia sunt imaginationes volubiles, phantasiæ variæ, carnis illecebræ, ac stimuli, appetiones vindictæ, inconstantia circa agenda, vacillatio: es circa credenda, aliaque id genus, quibus quandiu non consentimus, tantum abest vt diuinam gratiam in nobis destruant, vt potius virtutem perficiant: iuxta illud *posteriorum ad Corinth. cap. 12.* Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Sathanæ qui me collaphifer: propter quod ter Dominum rogavi vt discederet à me, & respondit mihi. Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.]

Accedit hæc, quod quamuis nullius peccati sibi confesso, liberum esse possit, vel abstinere ab Eucharistia excusando se cum Centurione (cuius verba ante retuli nus) vel ipsam alacriter suscipere imitatione Zachæi, qui Dominum in domo sua suscepit gaudens: istud tamen esse longè melius quam illud, patet ex immensis fructibus, quos talis susceptio profert virtute passionis Christi, cuius est memoriale: præsertim pingue diem deuotionis ac roboracionem in Charitate, vnde anima inuatur maximè ad perripendas difficultates, quas caro illi adfert in via salutis.

## CAPVT VNDECIMVM.

De Confessarij prudentia in agendo cum Pœnitente, quem vt scrupulis, sic & Dei timore carere inuenierit.

## S V M M A R I V M.

136 Opponuntur scrupulosis libertini, quibus prodesse possunt aliqua ex medicinis, quæ prescribuntur scrupulosis, alia non item, sed potius nocere.

137 Earum loco assumendum Dei timor dictus seruilis, nascens ex consideratione pœnaram inferni.

138 Pœnarum inferni, tum grauitas, tum multitudo, vrgenda est maxime ad libertinum concutiendum timore Dei.

139 Earundem pœnarum consideratio debet Confessario commendata esse.

140 Ratio qua libertinus videtur posse ex pœnis inferni d'sponi ad timorem Dei.

141 De diabolica persuasione dicentium nihil esse, quod se vexent: quia Deus iam nouit quid de ipsis sit futurum.

142 Quando & quomodo suaderi possit minus malum ad vitandum maius.

136. **S**crupulosi oppositi sunt ij (libertinos vocant) qui post concupiscentias suas eintes & earum ardore cauteriatam habentes conscientiam, nullis non modo scrupulis, sed nec Dei timore auertuntur à sua voluntate, contra illud Sapiens præscriptum Ecclesiastici cap. 18. Post concupiscentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Sicigitur liberas vitij relinquentes, habenas, non proponunt Deum ante conspectum suum; atque à facie eorum iudicia ipsius aueruntur, & ideo inquinatae sunt viæ illorum in omnitem pore] ex Psalm. 9. Prudentia autem confessarij est aduertere, inter prius propositas medicinas solas tres primas posse talibus prodesse: ad quarum proinde vltimum debitum illos inducere debet quantum potest. Quoad cæteras autem, ne eis abutantur (prout facile possunt, vt conscientiam ob-

murmurantem non sentiant, sed peccent sine remorsus molestia) monendi sunt eas non institui ad curationem infirmitatis qua laborant, sed potius morbi contrarij: laxatiuam enim habere vim pro scrupulis: non autem restrictiuam, pro nimia sua libertate.

Itaque loco earum assumendum esse timorem Dei, ex consideratione pœnarum inferni tanquam remedium: tum efficax aduersus peccandi licentiam. (Oderunt enim peccare mali formidine pœnæ, prout experientia docet) tum opportunum ad peccatorem reducendum ad Deum, iuxta illud Psalm. 77. Cum occideret eos quærebant eum, & reuertebantur diluculo veniebant ad eum. Quamuis igitur talis timor non sufficiat ad iustificationem peccatoris, vtiliter tamen ille eo concurrit, vt in Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. confirmatur ex eo, quod Ninivita ad predicationem Ionæ plenam terroribus egerint pœnitentiam, & à Domino impetrarunt misericordiam. Quod vt contingat libertino, Confessarius bene curat, cum ex timore pœnarum inferni, ipsum adducere seu disponere satagit ad eam saltem contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, & est impulsus Spiritus sancti nondum quidem inhabitantis, sed exterioris ita mouentis vt idoneum reddat ad Dei gratiam consequendam per susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ ex eodem Conc. Trid. lococit.

Porro quod in consideratione pœnarum inferni, timorem propositum generat, est maxime grauitas & multitudo earum inenarrabilis: vt verè illud vsurpare liceat, Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, Omnia pœnarum percurrere nomina possem. Quamquam tamen ex factis literis & sanctis Patribus, notatè inueniuntur in libris p'ss. que sufficiant ad quemcumque fidelem non omnino obstinatum permouendum.

De illis legendi sunt à Confessarijs D. Anton. 3. part. titul. 14. cap. 5. & illi qui scribunt de quatuor nouissimis: vt Dionysius Carthusianus & alij passim obuij: idque diligenter: tam vt compassionis affectu, moueantur erga proximum illis expositum: quam vt procedant solliciti de sua salute; exposita eidem periculo, si ipsorum culpâ & socordia ille mortis æternam incurrat, qui curâ & diligentia ipsorum, eam euasisset. Neque enim, si Medicus corporis, suâ incuriâ ægrum adducens in vitæ discrimen, sanus nihilominus manet: ita medicus animæ, exponendo Pœnitentem suum periculo æternæ damnationis, eam euadit: sed illi pariter obnoxius manet: ita vt cæcus cæco ducatur præstans, ambo in foueam cadant.

Præparari autem potest ad istiusmodi timorem libertinus, inclinando ei, quod eadem fide quæ credit vnum esse Deum Creatorem cœli & terræ, & ipsius Filium vnigenitum pro nobis hominem factum, & in cruce mortuum: debere etiam credere eiusdem Christi, veri Dei & hominis aduentum ad iudicium: in quo resumptis corporibus sine fine victuri, omnes homines excepturi sint sententiam, qua iustus æterna gloria, & iniquis æterna supplicia decernentur, vt patet ex capite 25. D. Mathei. Pœnterea quod nihil sit quod post Deum tanti facere debeat, quam animam suam: cum nihil habeat tantum intimum: ideoque in seipsum erudilem iniquumque esse, exponendo illam æternis supplicijs: à quibus vt illam liberaret Christus acerbissimum ignominiosissimumque crucis supplicium subire dignatus est: cuius tantam misericordiam contemnens, sensurus sit iustitiæ rigorem, in terra illa miseriz & tenebrarum: in qua (vt habet inter alia D. Gregor. lib. 9. Moral. in Iob. cap. 39.) sit miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu: quia & mors viuunt, & finis semper incipit, & deficere defectus nescit.]

Euersio cuiusdam præsidij Diabolici, quo libertini se muniunt.

**N**on desunt autem qui eo dementiæ deuenerunt, vt quamuis vera esse credant, quæ de pœnarum inferni multitudine & acerbitate dicuntur, se credere affirmant; nihil tamen eorum timore moueantur: hoc diabolico, adeoque falso præsidio fulci, quod nihil sit cur se priuare debeant huius vitæ iucunditatibus, nec animo suo obsequi: cum nesciant vtrum post multos toleratos labores, & spera huius

vite

vita commoda, sint felicem exitum habituri: id enim pendere ex vnus Dei beneplacito immutabili. Quibus occurrendum est: quomodo esse: vt illi sibi persuadeant, Deum pro infinita sua bonitate, nihil de ipsis ordinaturum, nisi quod iustissimum est, & rectissimum: deo quoque exequantur quod suarum partium est: satagendo iuxta D. Petrum in Epistola 2. cap. 1. vt per bona opera certam suam vocationem & electionem faciant. Deus enim non deerit, quem impossibile est mentiri. ad Hebr. 6 aut negare se ipsum 2. ad Timoth. 2. Ipse autem Ezech. 33. protestatur. Viuo ego nolo mori in impij, sed vt conuertatur impius ad suam viam & viuat. Et ex Apostolo in priori ad Timoth. 2. vult omnes saluos fieri. Cum igitur ad aeternae vitae consecutionem oporteat nos a malis abstinere & bona agere (iuxta illud Ioan. 5. Proceperunt qui bona egerunt, in resurrectione vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectione iudicii) sicut & agricolam oportet agrum suum colere ad percipiendos ex eo fructus: sane perinde stultum est, viam salutis positam in declinando a malo & in faciendo bonum: ideo tenere nolle, quod nesciatur an salus ipsa suscepro labores sit securura: non secus quam si agricolae arare & ferere noller, eo quod certus non sit, an ex laboribus percipitur sit fructus quos expectat. Adde, quod etsi nulla expectaretur aeterna salus, recta ratio tamen dicit, seruicium esse Deo: ac eadem praecipiente obtemperandum: tum propter summam ipsius excellentiam ac maiestatem; tum propter tot beneficia creationis, consecutionis, redemptionis & alia particularia in nos collata. Immo etsi per impossibile, neque beneficia a Deo accepta, nos ad id non obligent, obligat sufficienter humanae naturae conditio, quae requirit vt homo viuat secundum rectam rationem dicentem bona sequenda esse & mala vitanda. Virgeri demum poterit, quod qui se stulta illa ratione persuaderi sinerit, vel expectat a diuina misericordia aeternam salutem, vel a diuina iustitia mortem aeternam, desperat. Atque si aeternam salutem expectet, iniquissimus est, & supra quam dici potest peruersus, vitam agens qua incessanter Deum offendat a quo expectat tam immensum bonum, quod alij maximis laboribus quaerunt. Sin autem de aeterna salute desperet, quod Diaboli est non hominis, cui quamdiu agit hanc vitam, patet ad Christum salutaris aut horem aditus: iuxta illud Ioan. 6. Eum qui venit ad me non eieciam foras. Virgeri poterit quod in Inferno nullum relinquatur peccatum impunitum, iuxta Mat. 5. Non exies inde donec reddas nouissimum quadrante. In quodque peccatis ipsis proportione respondebit poena: iuxta illud Apoc. 18. Quatum se glorificauit, & in delictis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.

Quae cum ita sint, a consuetudine peccandi qua multiplicat & aggrauat poenas in Inferno luendas, merito deberet anni conatu auocare se; & obsequi suauissimae & consolatoris plenissimae adhortationi Isaie cap. 55. Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas & reuertatur ad Dominum & miseretur eius, quoniam multus est ad ignoscendum.

142. Hic obiter aduerte illum qui cum homine talis farinae tractat, non posse quidem facere aliquid minus malum, ad impediendum ipsum a perpetracione alterius mali maioris, ex cap. Quod ait dist. 14. quando tamen ille omnino statuit peccare, posse ipsi persuadere, vt peccatum minus faciat potius quam maius: vt cum nullo modo vult abstinere a peccato carnis, potius fornicacionem quam adulterium committat. Ratio est quia id non est suadere peccatum, a quo vellet ipsum omnino auocare; sed dissuadere minus peccatum quae modum annotat Caiet. & Armilla in verbo Tyrannus; & pluribus confirmat Sotus libr. 6. de iustitia & iure quast. 1. art. 5.

#### CAPVT DVODECIMVM.

De prudentia in iuuando Penitente propositis tum remedijs aduersus prauas suas propensiones: tum dispositionibus ad progressum faciendum in Dei gratia & virtutibus.

#### S V M M A R I V M.

143. Vndecim remedia proposita a Polanco aduersus malas nostras propensiones.

144. Tria quae omnibus proponi possunt ex eodem.

145. Dispositio prima ad diuinam gratiam & virtutum in nobis augmentum, est earundem acceptarum bonus usus: & quae ad hunc consecratur.

146. Altera dispositio non abui illis, sed seruare diligenter & ex illis proficere.

147. Tertia est quorundam interiorum adiumentorum: nempe recte intentionis, capacitatis eius (modi augmenti: ac desiderij bonique propositi) eo vtendi.

148. Quarta est adiumentorum exteriorum: nempe diligentia in captanda occasione proficendi: in commendando se precibus seruorum Dei, in inuocando Sanctos cum Christo regnantes: & pie frequentando sacramenta.

149. Modus agendi cum eo, qui apparet idoneus ad statum consiliorum Euangelicorum.

150. Eradicandi in nobis prauos affectus difficultas quidem magna est, sed quae superari potest iuuante Christo.

151. Ratio inuendi certamen aduersus prauos nostros habitus, ad eos ab anima nostra eliminandos.

152. Ratio faciendi nobis propria Christi merita.

Vt ad Medici corporalis officium non tantum spectat agrum restituere corporali sanitati, sed etiam eadem in futurum conseruare, pro conseruanda augendaque sanitate: sic praeter iam dicta, quae pertinent ad recuperacionem spiritualis sanitatis, in Dei gratia & virtutibus eam comitantibus consistentis: in Confessario incumbit ex officio, munire Penitentem remedijs aduersus ea, quibus talis sanitas laesefacta potest, & adiumentis quibus incrementum capiat; ideoque de illis consequenter dicendum est: quod fiet prius traditis reuendjs aduersus prauas nostras inclinationes. Secundum propositis dispositionibus requisitis ad praedictum incrementum. Tertio tradita ratione eradicandi vitia seu prauos animae nostrae habitus. Quarto proposita ratione, Christi merita faciendi nobis propria. Namque ad peccatum, quo laesefacta anima sanitas, propensos nos faciunt, tum prauae inclinationes naturales, tum etiam mali habitus acquisiti. Ad incrementum vero eiusdem sanitatis, tum bona ad illud dispositio, tum Christi merita nobis applicata.

De remedijs aduersus malas propensiones naturales.

#### SECTIO I.

143. Remedia & quasi praesidia, quibus muniti possumus aduersus prauas nostras inclinationes, sunt ea quae a Polanco numerantur in suo directorio cap. 3. art. 2. Primum firma & saepe renouata voluntas non offendendi Deum; sed ei verè seruendi. Secundum promptitudo occurrendi prauis cogitationibus, a quibus reliqua mala oriuntur. Tertium reprehensio sui & recordatio diuinae praesentiae. Quartum recursus ad Angelum custodem, & Sanctos, & praecipue ad Christum Crucifixum & ipsius Matrem sanctissimam cum aliqua opportuna oratione. Quintum recordatio diuinae beneficiorum ac consideratio mortis & iudicij omni hora imminenti, atque adeo breuitatis, incertitudinis, fragilitatisque huius vitae. Sextus dolor de peccato statim atque ipsum committi accidit, cum infliccione alicuius poenae propter illud, ac proposito confitendi suo tempore. Septimum largitio elemosynae. Octauum conuersatio cum bonis, & conuatio prae societatis. Nonum lectio librorum piorum, & auditio concionum. Decimum exercitium operum misericordiae: & Sacramentorum Penitentiae & Eucharistiae vius deuotus & frequens. Vndecimum studium humilitatis, timoris Dei, & orationis, super omnia autem charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. Ex Apostolo ad Coloss. 3, & sine quo nihil sumus, nec caetera nobis profunt, ex eodem in priori ad Corinth. 13.

Caeterum tria sunt, prout idem Polanco monet, quae ferè omnibus salubriter proponi possunt.

Primum est, mane se totum offerre Deo cum memoria Christi Iesu pro nobis oblatis in cruce, gratiamque petere vitandi eo die lapsus in peccata, praesertim ea ad quae sumus procliuiores, ac perseuerandi in ipsius amicitia; dicendo Patet, Ave, Credo, &c.

Secundum est, se aliquantum temporis quiete colligendo quod noctu ante somnium oportune fieri solet) discurre suam conscientiam & considerare beneficia à Deo accepta, & mala ei reddita, transgressionem diuinorum suorum mandatorum, addita humili petitione veniam cum expresso emendationis proposito, dicendo, Pater, Aue, Credo, &c.

Tertium est, crebro confiteri sacramentaliter, quod præfidium multa complectitur, & est instar multorum. Pauca autem, ut idem auctor bene monet, & faciliora ad intelligendum, reuincendum & exercendum simplicioribus proponenda sunt: ut verbi gratia; mane dicere ter Pater, & ter Aue, ac semel Credo contra malas cogitationes, & mala verba, malaque opera: totidem vel plura, agendo gratias Deo de beneficijs ab ipso acceptis, & petendo veniam de offensis contra ipsum commissis, implorandoque auxilium ad eas canendas, adiuncto proposito emendationis. Præterea admonere, ut offensus se prius cogitationes ita repellat caueantque voluntate illis consentire, omnique studio tueantur animæ puritatem, ac bonis operibus insistant pro ratione talenti accepti, & crebro confiteantur.

De dispositionibus ad gratiæ & virtutum incrementum.

### SECTIO II.

145. Dispositiones autem ad gratiæ & virtutum augmentum hæc possunt esse. Prima, acceptorum à Deo donorum bonus usus, sine quo illa acceptio obligationem, non vtilitatem & meritum. Vnde misericordie Dei est, cum talem non usum in aliquo prævidet, illa non augere, ne augeatur serui inutilis pena: de qua *Matth. 25*. Seruum inutilem eiecit in tenebras exteriores, ibi erit fletus & stridor dentium.] Confert autem specialiter ad istiusmodi usum: primo crebra aspiratio ad illum; Deo placendi studio, desiderioque profectus nostri in virtute, per quem nostra spiritualis paupertas subleuetur, & nostræ imperfectioni remedium adferatur. Secundo memoria Dei præsentis, recognoscendo nostrum debitum occupandi nos in ipsius seruitio. Tertio intueri Christum nobis exemplo præeuntem in ipso usu virtutis, & nominatim in eo, cui de præsentibus incumbendum esse ratio dicitur: ab eoque auxilium, quasi iaculata oratione, petere cum sponsa *Cant. 1*. Trabe me poste: curremus in odorem vnguentorum tuorum.] Petere, inquam, cum magna fiducia ab eo, qui liberalissimus & misericordissimus mediator redemptorque noster est. Nam qui tanta operatus & passus est pro nostro profectu: amator noster quam nosmetipsi, bonus pastor quærens ouem errantem & inuentam humeris suis imponens, ac pro grege suo dignatus mori, non denegabit illud quod promisit *Matth. 7*. Petite & dabitur vobis, quærite & inuenietis, pulsate & aperietur vobis; omnis enim qui petit accipit & qui quærit inuenit, & pulsanti aperietur.]

146. Secunda dispositio ad augmentum gratiæ & virtutum esse potest, non tantum perseverare in accepta gratia, sed etiam bene ad eam habere se: ut contingit primo, non abutendo eâ, vtili solent qui superbiendo, Deum oppugnant suis donis. Secundo seruando eam diligenter, magnique æstimatione dona Dei, & pro illis gratias agendo ex animo, ac petendo ut in nobis perseverent. Quæ petitio quotidie fieri debet ob quotidiana pericula perdendi rem necessariam ad salutem. Tertio demum, sollicitè negotiando cum tali talento accepto: nimirum in exercenda pietate erga Deum, benignitate erga proximum & mortificatione erga nos ipsos. Nam scriptum est *Ierem. 48*. Maledictus qui facit opus Dei fraudulentè.]

147. Tertia dispositio est quorundam interiorum adiutorum: quorum primum consistit in rectitudine intentionis: quæ contingit cum augmentum gratiæ non aliter intendimus, quam ut Deo maximè placeamus & proximium iuuare possimus, prout Christiana charitas exigit. Secundum vero consistit in reddendo animam, vas capax talis augmenti tanquam liquoris abundantioris: quod fit per profundam humilitatem, qua homo sentit suam inanitatem, & quod sibi deest intuens, de se omnino diffidit, ac se ipsum abnegat. Tertium consistit in dilataciónè desiderij, tanquam

oris animæ, ut Deus impleat illud. Nihil autem aliud est talis dilatación, quam actus voluntatis magnopere, frequenter, & insatiabiliter experientis gratiæ augmentum. Quartum consistit in animæ studio, quo diligentia adhibetur circa pia opera: orationes, inquam, ieiunia, & elemosinas, ac cætera quæ ad hæc reducuntur ut fiant instanter, fortiter & perseveranter ad promerendum apud Deum, propositum augmentum.

148. Quarta dispositio est, quorundam aliorum adiutorum externorum: quorum primum consistit in non omitendo oportunitatem temporis; siue diei festi, in quo tanquam oportuniore ad consequenda Dei dona, exercitium operum pietatis maximè commendatum esse solet: siue etiam vocationis Dei per interiores inspirationes, aut etiam exteriores afflictiones vel prosperitates. Nam *Apoc. 3*. talium donorum largitor ait. Ego sto ad ostium & pulso, si quis aperuerit intrabo & cenabo cum eo.] Secundum vero, consistit in postulando à seruis Dei adhuc viventibus ut orent pro nobis, ac dignentur nos suorum meritorum facere participes. Tertium autem in inuocando deuotè Sanctorum cum Christo regnantium suffragia & præcipuè Beatæ Virginis. Quartum demum in susceptione debita Sacramentorum Penitentia & Eucharistia: ad quam tanquam continentem gratiarum omnium fontem, cum quanto possimus feruore accedendum est.

149. Quæ quatuor attingentes Polancus in sequenti art. 3. & Iacobus à Graphijs in lib. *decis. aurearum cap. 30*. addunt, quod non videtur silentio prætereundum; non expedire (etiamsi perfectionis sit) ad statum consiliorum Evangelicorum statim stimulare Penitentes progressum facientes in virtute, ne quidem idoneos ad eum statum: quia multi sunt, qui eò magis illum refugit, quò sibi persuaderi sentiunt. Secutum autem esse tales ad meliora & salutem viciniora adducere: interea cum dexterrate interrogato de inspirationibus Dei, num aliquas sentiant circa perfectiorem vitæ statum assumendum: sique aliquas in se sentiant: admonere ne furdi sint ad vocationem Dei. Si verò non sentiant hortari ut Deo offerant se, paratos ad omnia, quæ fuerint ei gratissima: ac quisque prout fuerit dispositus, ad optima est excitandus. Quod si aliquem inueniat Confessarius dispositum ad tenendam consiliorum viam: non debet occasione negligere eum iuuandi: quia non exequeretur alioqui fideliter suum munus. Quanquam autem eum dirigere debeat, non tamen ad vnam potius, quam ad aliam Religionem inuitare; sed ei liberam relinquere suam vocationem; nisi in aliquo ipsum decipi constaret: quia tunc esset consilio inuandus.

Ratio extirpandi ab anima vitiosos habitus ad euitationem peccatorum.

### SECTIO III.

150. Vitiosi habitus instar spinarum sunt, quæ in agro cordis nostri latibulum præbent antiquo serpenti cuius inhabitatio ita deprauatur, ut pro fructibus bonorum operum producat peccata. De quibus *Matth. 15*. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia: hæc sunt quæ coinquinant hominem.] In illis ergo extirpandis insudandum est ad peccatorum euitationem: quod quidem magnam habet difficultatem, quæ quasi obstetricantem Dei manum requirit; ut educatur coluber tortuosus iuxta dictum Sancti Iob. *in ca. 26*. Vnde potest quidem in nobis augeri distantia de nobis, non tamen minui confidentia in Christo; dicente Apostolo ad *Philip. 4*. Omnia possum in eo qui me confortat: ] Ille enim potest, etiam ex lapidibus suscitare filios Abraham *Matth. cap. 3*. & ad hoc venit in mundum ut redimeret nos ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem, seductorem honorum operum ad *Timum 2*. Ita ut nescio sit qui desperare debeat, se posse cum tempore superare quoddamque vitium, quantumcumque in ipso altissimas egerit radices, si quæ suarum partium sunt præsterit, firma in Christum innixus spe: quam excitare fouereque debet, ipsum humiliter considerando: tum ut Creatorem, apud quæ non est impossibile omne verbum *Luce 1*. & ideo potest reformare in nobis suam imaginem, per vitium deformatam

Tum vt patrem, qui filio perenti spiritum bonum, non potest illum negare, iuxta illud *Luc. 11.* Si vos cum fratribus malis, nostris bona dare filijs vestris, quanto magis Pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se. Ad quod facit parabola de filio prodigo *Luc. 15.* cui reuerso ad patrem tam benignè de omnibus idem pater prouidit. Tum demum vt Medicum missum ad impediendam salutem omnibus qui indigerint: ipso dicente *Matth. 18.* Filius hominis venit saluare quod perierat. Et inique rei gratia, sanguinem suum fudit, & corpus suum in sacrificium & cibum reliquit in Eu. charistia: factus Medicus noster, & medicina; redemptor, & pretium redemptionis nostrae. Sic igitur sanguis Iesu Christi emendat nos ab omni peccato *1. Ioan. 1.* habemusque redemptionem per sanguinem eius *ad Ephes. 1.* Ad hæc si cum peccatores adhuc essemus, Christus pro nobis mortuus est, multo magis nunc iustificati in sanguine ipsius, saluati erimus ab ira per ipsum *ex cap. 5. Epistole ad Rom.* Vnde nullus potest esse locus pusillanimitati, aut diffidentiae: quia licet magna sit indignitas nostra: in infinitum tamen Dei misericordia eam vincit. Neque iniuria ipsius obstitit, sed potius fauet; eum exigit, vt ipse det nobis illud quod a nobis petimus. Creator est, quem dubitare non possumus, malle videre purum opus ad imaginem suam factum, quam vitii contaminatum. Si bonus Dominus seruum: & pater filium, volentem ex vitiorum caeno emergere, libentissimè adiuuat: quis non expectet idem auxilium a Deo, qui est ipsa bonitas, nec vnquam deest sperantibus in se. Magnogit fortisque animo, quæ in hac re sunt nostrarum partium, auxilio freti Christi, conemur exequi: quæ censentur sex sequentia.

*Sex à nobis prestanda ad vitiorum eradicationem.*

**P**rimum est Christi auxilium pro mentis illuminatione implorare: vt fieri potest per illud *Psal. 12.* Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus prauialui aduersus eum. ]

Secundum est, vt conemur nos ipsos intimè cognoscere, perscrutando accuratè omnes inclinationes nostras, & earum radices, per quas ortum & incrementum capiunt ab amore nostri inordinato: (quales radices communiter septè distinguuntur, & Capitalia peccata vocantur) cumque eas inuenierimus, studeamus euellere: nõ quidem omnes simul, sed vnã post alteram: incipiendo ab ea, quæ magis nos infestat & magis est in nobis peccatorum incentiuum: nam habens plures hostes potentes, si vult omnes deijcere simul: aut hodie hunc, & illo nondum debilitato, cras cum alio congressi, nullam vincet.

Tertium est habere notata, memoriæque commendata (vt præsto sunt, cum opus erit) illa quæ inducunt in displicentiam, odiumque vitiorum: præsertim illius cuius eradicationi specialiter studemus: & quæ contra in complacentiam, amoreque pulchritudinis virtutum, maxime illius cui propositum vitium aduersatur. De quibus in eum finem legendi sunt libri pij, & de iisdem apud se meditandum sepe, & cum alijs colloquendum. In eam rem vsui esse possunt in præcedent. capite quinto sectione tertia & seq. dicta de turpitudine & perniciæ peccati.

Quartum est, vt cum vitiorum radices habeant varias quasi fibras, tum occasionum peccandi, tum malarum propensionum, tam à natura corrupta quam à praua consuetudine prouentium: in ijs euellendis incipiamus à minus difficilibus & ex illis paulatim assurgamus ad difficiliore diffidendo de propria infirmitate, & confidendo in Christi auxilio, quod oportet implorare, talis vitij turpitudine mentis cum pudore & dolore obiecta, excitatoque desiderio liberationis ab ea, vt valeamus progredi in capta salutis via resistendo superuenientibus tentationibus, similitè iam adhibere Aduocatos, Beatissimam Virginem ac reliquos Sanctos; & nominatim eos qui excelluerunt in virtute contraria vitio quod extirpare satagimus; interea manentes spe fixi in ipso Christo, & conantes omni studio euadere periculum labendi per tale vitium in peccata, quibus iuxta Apostolum *ad Hebr. 6.* talem crucifigamus nobis ipsi filium Dei & ostentui habeamus.

Quintum est, vt in certamine quod contra certum vitium inimicus id ipsum vitium persequamur instantè, donec ita debilitetur, vt iam facile sit ipsum comprimere secundum rationis arbitrium: efficere vero id, vt non sentiat, nec necessarium est, nec etiam fieri potest. Et licet præcipuè diligentia cum tali vitio particulariter pugnandum sit; cætera tamen non sunt interim negligenda, sed eorum vnice salis horror semper habendus est, siquæ aliquid eorum incipiat nos infestare, & cum aliquo peccandi periculo vrgere, statim quasi prostrato capite reprimi debet.

Postremum est, vt strenui, animoque virili simus in aggreddiendi hac spiritali pugna, ne terreamur labore, nec abistamus rei difficultate (in quo magnum est victoriæ signum) tum etiam in ea profequenda, constanter, non diffidendo de victoria, etiam si infirmi & fragiles sapius qualibet die labamur, immo potius inde faciendo prouentum humilitatis; cui talis lapsus materiam præbet. Neque enim in istiusmodi certamine qui cadit vincitur, modo surgere studeat: sed qui fugiendo arenam pugnare desinit, aut se aduersario dedit.

*Ratio faciendi Christi merita nobis propria, ad incrementum gratiæ & virtutum.*

#### SECTIO IV.

**C**hristus caput totius Ecclesiæ, sicut habuit plenitudinem gratiæ, ita habuit & meriti non tantum pro se, sed etiam pro omnibus qui ei tanquam viva membra vniuntur. Illis enim promeruit ea ratione, qua solet quis singulis sui corporis membris viuus, quando aliquid agit remuneratione dignum: sicque incrementi meritorum habemus adiumenta, non tantum intra nos: gratiam, inquam, & virtutes tum Theologicas, tum morales infusus ac Spiritus sancti dona: sed etiam extra nos, Christum videlicet Dominum nostrum meritorum abyssum infinitum, propter gratiam sine mensura per quam meruit, personæque merentis dignitate infinitam. Etenim talium meritorum participes fieri possumus: quod sciens D. Bernardus, vt in ipsius vita referatur *libr. 1. cap. 12.* Diabolo ipsum in extremis constitutum accusanti respondit; Fateor, non sum ego dignus, nec proptijs possum meritis regnum obtinere caelorum: cæterum duplici iure illud obtineas Dominus Deus; hæreditate scilicet patris & merito passionis; altero ipse contentus, aliterum mihi donat ex cuius dono, iure illud mihi vendicans nõ confundor. Cum autem maximi omnium momenti sit talis participatio, debemus magnâ curâ ad illam nos disponere; sicut possumus per illa quæ nos ipsi Christo vniunt, & quasi incorporant; quæ sunt, tum fidei, spei, & charitatis erga ipsum vsus, de quo in sequenti cap. 14. sect. 6. tum etiam imitatio ipsius in cæterarum virtutum exercitio, per quod in via salutis, declinando à malo, & faciendo bonum sic ambulemus, vt intueamur ac sequamur ipsius quasi vestigia: quod præter notitiam comparandum conciones audiendo, pios libros legendo aut meditando vel colloquendo de vita ipsius, ac etiam vsu imaginum) requirit vt ipsum habeamus assidue ante conspectum nostrum. prout exponitur in eodem cap. 14. Sect. 4. Tum præterea sacrosanctæ Eucharistiæ sumptio debita, de qua dicitur in tertia part. cum de ipsa Eucharistia ex instituto. Tum demum speciale studium ad hoc adhibendum vt nos ipsum Christi meritum induamus, nobisque redemptionis nostræ fructum reddamus proprium: qui fructus est tum satisfaciendi pro peccatis, tanquam debitis nostris: tum promerendi nobis in hac vita gratiam, & in futura gloriam: tum demum agendi vitam Deo placentem. Istiusmodi studij autem vtiliter exercendi modus, iste esse potest.

Primo conuerti ad Christum, à quo est omne bonum, iuxta illud *1. Ioan. 1.* De plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. ] & cotam eo recognoscere: tum nostram ac nostrarum actionum imperfectiõnem: tum etiam debilitatum quo adstringimur ipsum honorandi, ipsique placendi aciuandi membra ipsius: nempe tum nos ipsos, tum etiam proximos nostros, pari nobiscum paupertate egestateque pressos.

Secundò, considerare thesaurum meritorum inæstimabilem in ijs quæ Christus (Persona infinite dignitatis) egit passusque est inuitia, obedientia, charitate, & gratia sine

mensura, quodque ipse talia merita sua, possit omnibus suis membris communicare, ac efficere ut nobis impurentur tanquam nostra.

Tertio in nobismetipsis excitare desiderium participationis ipsorum Christi meritorum; optando vehementer in diu veste confecta ex tam pretiosis velleribus agni illius immaculati: capotissimum intentione, ut Deum honoremus, & ei maxime placeamus proximis item nosque ipsos eadem veste calefacti, iuuenus ad roborationem gratiæ & virtutum nobis diuinitus infusarum, animæque nostræ maius decus & ornamentum: ut tum ipsa tum actiones ipsius, gratiores sint in conspectu Dei.

Quarto, erigi in spem tanti beneficii consequendi; tum quia id maxime conuenit summæ Christi ergo nos misericordiæ, cui is typum quemdam gessit misericordia sancti Iob. dicentis in cap. 31. Si despecti pereuntem, eo quod non habuerit indumentum, & absque operimento pauperem; si non benedixerint mihi latera eius, & de velleribus ouium mearum calefactus est, &c. tum quia conuenit bonitati, magnificentiæ, liberalitati que diuinæ, ut in via nobis conferat quod summum est inter bona præsentis vitæ; suum scilicet meritum: sicut in patria nobis confert quod item summum est; puta visionem, & fruitionem suæ essentiæ. Tum demum quia maxime honorificum est humanitati Christi, ut sic loquere possit & velit suos.

Postremo addere orationem, qua deuote instanterque peccamus à diuina bonitate per ipsa summa Christi merita, & Beatæ Virginis, Sanctorumque omnium intercessionem, ut de inexhausto eorumdem meritorum thesauro paupertatem & indigentiam nostram subleuare dignetur, ut calefacti de velleribus illius agni sui, qui tollit peccata mundi, seruiamus ipsi in sanctitate & iusticia, omnibus diebus nostris. Ad hoc enim idem agnus innocens & impollutus occisus est, in quo fundaretur, & à quo inchoaretur, & per quem promoveretur perficereturque omne bonum nostrum. Cui laus sit ab omni creatura, de qua Apoc. 5. Et omnem creaturam que in celo est, & super terram & sub terra, & que sunt in mari, & que in eo, omnes auidui dicentes sedenti in throno & agno Benedictio & honor & gloria & potestas in sæcula sæculorum. Amen.]

## CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De prudentia Confessarij in erudiendo rudi in fide, nec satis sciente viam salutis.

## SVM MARI VM.

- 153 Declaratio mysterij sacrosanctæ Trinitatis accommodatè ad captum rudiorum.  
154 Similis declaratio mysterij Incarnationis.  
155 Propositio aliorum mysteriorum in simbolo Apostolico expressorum.  
156 Ratio qua ab Ecclesia inculcantur.  
157 Via salutis postea in adimplerione diuinæ voluntatis, & vniuersè quid Deus velit à nobis.  
158 Vitanda ad tenendam viam salutis.  
159 Detrimta a peccatum accepta recedendo à via salutis, cum ratione reparandi.

**C**VM editus iussu Concilii Tridentini Catholici ad Patrochos sufficienter ea suppeditet quæ huc spectare possunt: siue quo ad res, de quibus rudem erudire oportet: siue quo ad modum erudiendi: contenti erimus attingere familiarè modum agendi cum nonnullis adeo rudibus, ut de principiis fidei in ipsa etiam confessione doceri debeant, ut absolutionis Sacramentalis bene capaces censantur: quod aduertere, in eo que Penitentem suum iuare accommodatè ad ipsius captum, prudentiæ est Confessarij: sicut & nescientem informare de via salutis; quod vtrumque quæ ratione paucis fieri possit sequitur tradendum.

Modus familiaris erudiendi rudem in fide.

## SECTIO PRIOR.

153. **H**ic modus potest esse ille, quem attigit Iacobus à Grapshis in lib. 1. decisionum aurearum cap. 24. num. 3. ut declaratur, quid sibi velit quod formemus signum crucis, ducta manu à capite ad imum pectus; deinde à sinistro humero ad

dextrum dicentes In nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti. Hæc enim verba indicant sacrosanctæ Trinitatis mysterium; ad quod recolendum institutus est in Ecclesia dies Dominicus: in eo que consistit, quod Deus totius mundi (ex articulo primo symboli Apostolici) conditor, & rector, supremusque Dominus ex quo toti pendemus, vnicus sit quidem in sua natura diuina; trinus tamen in personis suis diuinis: sicut figura triangularis vna est in sua natura, & trina in tribus angulis in quibus consistit: atque primam earum à nullo alio habentem originem, nomine Patris significari: secundam vero, habentem originem à Patre, significari nomine Filij: & demum tertiam à Patre Filioque simul habentem originem, significari nomine Spiritus sancti; neque eam differentiam originis obstare quo minus Deus sit vnicus, cum omnium trinum vna eademque sit diuinitas duratione, omnique perfectione infinita; ita ut Pater sit quidem persona alia à filio & Spiritu sancto; non sit tamen alius Deus, sed vnus & idem, adeo ut vnitas in trinitate, & trinitas in vnitate veneranda sit: quod simpliciter credere, nec vexare se inquisitione modi, quod fieri possit, monendus est Penitens: ne volens sapere plusquam oportet, factus scrutator maiestatis opprimatur à gloria.] iuxta Sapientem Proverb. cap. 25

154. Productio vero manus à capite ad imum pectus significat descensum Filij Dei in sanctissimæ Virginis Mariæ uterum: seu ipsum non quidem hominis sed Spiritus sancti operatione conceptum esse & hominem factum in ipso beatissimæ Virginis Mariæ utero, prout declaratur per secundum symboli Apostolici articulum: sic ut simul sit verus Deus, si. ut æternus Pater ipse; & verus homo ex anima & corpore constans; sicut temporalis mater ipsius. In quo consistit alterum nostræ religionis præcipuum mysterium, quod dicimus Incarnationis: quia est filij Dei incarnati per humanæ naturæ assumptionem: quæ vtrumque adumbrari potest similitudine: si Rex in throno sedens aliquem ad se in eum assummet secum sessurum. De quo mysterio, ut de præcedenti simpliciter credendo, monendus est Penitens.

155. Natus autem de eadem Virgine in stabulo, postea passus est sub iudice Pontio Pilato, crucifixus, & in cruce mortuus, ac mortui corpus mandatum est sepulture, & anima descendit ad loca subterranea, in quibus animæ iustorum commorabantur, donec per eandem Christi mortem aperiretur eis cælum, quod per peccatum Adami primi omnium parentis, erat clausum. Tertia autem die animâ reddita corpori, is rediit ad vitam, & quadagesimo post die cælum ascendit; vbi gloriosus sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; vnde & venturus est iudicare omnes homines; constitutus ad dexteram iis, qui bona egerunt, & decesserunt in Dei gratia; & ad sinistram iis, qui mala egerunt & decesserunt in peccato mortali: ut in illos sententiam æternæ salutis, & in hos sententiam proferat æternæ perditionis. Iam quod formantes signum crucis manum à sinistro humero ad dextrum reducimus, significat causam assumptæ naturæ humanæ à Filio Dei, esse ut à sinistra sua ad dextram, id est, à statu damnationis, ad statum salutis homines transferret, iuxta illud ad Rom. 4. Traditus est propter delicta nostra: & resurrexit propter iustificationem nostram] siue ut passione sua, pro peccatis nostris Deo satisfaceret: & sua resurrectione excitaret nos spe futuræ beatitudinis, ad studium sanctitatis morum: per quam Deo placentes consequeremur æternam salutem. In quem etiam finem Spiritum sanctum dedit Ecclesiæ suæ Catholice (extra quam salus obtineri nō potest) ut eam regeret, & vnum quemque fidelem in ea suis cælestibus donis confirmaret, diuinisq; impulsibus, ad ipsam salutis portum proueheret. Vbi monendus est ille qui eruditur, nomine Ecclesiæ significari congregationem Christi fidelium, qui credunt tenent; quidquid sancta Romana Ecclesia credit & tenet. Posuit etiam sanctorum hominum, sacramentorumque communionem (de quorum præsertim Penitentię & Eucharistiæ, vsu, quem idem tunc vsurpare statuit: instituendus est pro ipsius captu) tanquam adiumenta ad peccatorum remissionem & consecutionem diuinæ gratiæ: quæ est æternæ salutis quoddam quasi semen, ex quo prouenit æterna gloria, non solum animæ sed etiam corporis restituendi vitæ; iterumque animæ ita sociandi, ut ab ea siue beata fuerit siue misera nunquam separandum sit.

Valerij Tom. 1. Pat. 1.

Quibus propositis, & prudentia erit monere, ea omnia contineri in Symbolo Apostolorum, quod cum oratione Dominica & salutatione Angelica addidit recitarique solet à fidelibus, tanquam continens ea quæ communiter debent nobis ob oculos versari ad fouendum in nobis pietatis bonorumque operum studium, & pietatem: vitæque improbitatem auerendam iuxta illud ad Titum. 2. Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus: erudiens nos ut abnegantes impietatem & secularia desideria sobriè iustè & piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem & aduentum magni Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi: qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum.]

156.

Addi etiam poterit ad recolendam memoriam mysterij sanctissimæ Trinitatis bonorum omnium vberissimi fontis, Ecclesiam celebrare diem Dominicum & particulariter illum qui proximè sequitur Pentecosten, Beneficium autem maximum Christi Incarnationis ac Natiuitatis, memorià recolendum eandem Ecclesiam inculcare obseruatione solemnitate Annunciationis Beatæ Mariæ, & Natalis Domini cum præcedente Aduentu Beneficium verò Passionis (cuius representatio est celebratio missæ) inculcare obseruatione diei veneris, & temporis quadragesimalis; & erectionis crucis; non modo in templis, sed etiam extra ea in vrribus, domibus & agris, Mysterij autem resurrectionis Christi (ac nostræ etiam aliquo modo) memoriã inculcare celebratione tum diei Dominicæ, tum etiam solemnitate Paschali: quibus succedit festum Ascensionis Domini in memoriã mysterij eiusdem Ascensionis. Porro futurus Christi aduentus ad iudicium inculcatur simul cum aduentu primo, in quo incarnatus de Spiritu sancto, homo factus est. Beneficium verò dari Ecclesie Spiritus sancti inculcatur obseruatione annua solemnitate Pentecostes. Eiusdem Ecclesie vnitas indicatur templo materiali omnibus communi, in quo omnes preces fiunt pro omnibus qui de ea sunt. Sanctorum communio & remissio peccatorum inculcatur: illa quidem, celebratione præcipuè solemnitate omnium Sanctorum, & festo corporis Domini, ac vsu panis benedicti: hæc verò vsu tum aquæ benedictæ, tum indulgentiarum, tum etiam ieiuniorum. Nostra denique resurrectio & vita æterna inculcatur: illa quidem solemnitate Paschali (vt iam attigimus) conseruatione reliquiarum sanctarum: & vsu cœmiteriorum institutorum ad religiosam sepulturam defunctorum: hæc verò celebratione adhuc festorum Ascensionis Domini: & omnium Sanctorum ac supplicationum & cantuum lætitiæ in Ecclesia.

*Ratio informandi paucis, cum qui nescit spectantia ad viam salutis.*

#### SECTIO POSTERIOR.

Cum proposita ignorantia coniuncta est alia, eorum quæ spectant ad salutis viam: cui remedium aliquod adhiberi consentaneum est, antequam Pœnitens ea laboras dimitatur: quod videtur sic paucis fieri posse, cum non datur tempus agendi pluribus.

157.

Primo inculcandum est æternam salutem ad quam aspirat non contingere nisi facienti voluntatem Dei dicente Domino *Matth. 7. Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quenam autem sit Dei voluntas quam facere oportet, de Iarari mandatis, de quibus *Matth. 19. dicitur*, Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Paucis autem comprehensam haberi verbis illis *Mithæ. 6. Indicabo tibi o homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: vtique facere iudicium & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo.* Quibus verbis significatur voluntatem Dei esse, vt vitam agamus, respectu quidem nostri, in ieiunio, seu mortificatione concupiscentiæ nostræ, quæ cum conceperit, parit peccatum: *Iacobi 1. Id enim est facere iudicium; tollendo scilicet, ei licentiam quam contra ius salue sibi ea sumit, dum in prosecutione iucundi, aut fuga molesti excedit rectos rationis limites. Respectu verò proximi, in elemosynâ; quæ iuuatur in sua necessitate; hoc enim est diligere misericordiam. Respectu denique Dei, in oratione, ac omni deuotione erga eum: quod est,*

sollicitum ambulare cum Deo: scilicet seruido illi in sanctitate & iustitia omnibus diebus nostris.] *Lucæ 11.*

Det ergo operam caueatque, ne in ipso vigeat aut concupiscentia; siue voluptatis siue curiositatis siue vanitatis (quarum prima concupiscentia carnis: secunda, concupiscentia oculorum: & tertia, superbia vitæ] *dicitur prima Ioannis 2.*) a it peruersa voluntas erga proximum; aut negligentia in seruido Dei. Viget autem concupiscentia voluptatis, in gulosis, & in luxuriosis; ad quos illi reuocantur, qui mollibus vestiuntur. Concupiscentia verò curiositatis, in curiosis & auariss; quorum illi nimis appetunt scire, & videre pulchra: hi vero, habere chara. Concupiscentia demum vanitatis in superbis, in quibus viget nimis appetitus fauoris, laudis, & honoris. Quibus omnibus inculcanda sunt verba *Ecclesiastici 18. post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere; si præstes animæ tuæ concupiscentias eius, facient te gaudium inimicis tuis.* Quæ verba ostendunt non modo confeniendum non esse concupiscentijs: sed etiam in primo earum motu, eas repellendas esse, iuxta illud in *sequenti capite 21. Quasi à facie colubri fuge peccata.*

Peruersitas verò voluntatis erga proximum viget; tum in iracundis; malevolentiam quam inus gerunt in animo, prodeuntibus exterius verbis iniuriosis, seu maledictis, actibus vindictarijs, signis in facie, gestibus & clamoribus: tum in inuidis, dolentibus de prosperitate, & gaudentibus de infortunio proximi.

Negligentia denique prædicta viget in acediosis torpentibus in Dei seruido; raro, aut sine debita reuerentia, & attentione orantibus vel Missam audientibus; leuiterque tantum se ad Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ parantibus.

Commendanda demum est saluberrima memoria præsentis Dei, tanquam actionum nostrarum testis præsentis, qui idem nos misericorditer nunc sustinens, erit postea seuerus iudex, faciens reddere rationem vsque ad vltimum quadrantem: ad cuius tribunal progressio quædam est, & accessus vita nostræ: vnde ita instituta ea debet, vt illum habere possimus placatum, ne nobis conueniat quod ab iplo Christo *Matth. 26. dicitur* est de Iuda, Bonum esset ei, si natus non fuisset homo ille.

Adhuc qui eruditur moneri potest de detrimentis quæ accipiuntur relicta viâ salutis, & de ratione qua reparari possunt, eandem viam tenendo. Per peccatum igitur recedendo à viâ salutis, detrimenta accipiuntur, non modo ordinariè à peccatore, sed etiam à proximo multoties: Deo autem nunquam; iuxta illud *Iob. 35. Si peccaueris, quid ei noceris, & si multiplicatæ fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Accepta autem à proximo reparantur per restitutionem, quam iure naturæ tenetur facere, qui illa iniuste intulit; aut si eam facere non potest, recurrere ad Christum. In quo recursus oportet primò cognoscere ipsa detrimenta illa, & cum dolore offerre nos Christo paratos ad quosuis pœnas patientes eo nomine libenter, quod per nostram culpam illi quos sanguine suo redemit, detrimentum patitur cum aliqua diminutione honoris ipsius.*

Secundò tantum de ipsius potentia, scientia, & bonitate credere & sperare, vt persuasum habeamus, quod possit, sciat, & velit pro nobis satisfacere; si vt par est id ab eo per deuotam orationem petamus. Quæ faciendâ est adhibitis intercessoribus Sanctis, & reuocatâ in memoriã passionis Domini; quâ nobis omne bonum meruit verè misericors.

Accepta verò à nobis detrimenta, sunt peccati macula, & innumera alia mala quæ eam sequuntur *iuxta illud Psal. 31. Multa flagella peccatoris.* de quorû reparatione, in sequentibus lib. 5. cum de contritione, ad eandem reparationem instituta, vt pote quæ est Pœnitentia, de qua Dominus noster *Luc. 13. ait*, Nisi pœnitentiam habueritis omnes peribitis. ] Accedit ad ea ipsa mala, exiguus valor eorum etiam bonorum operum; quæ etsi proueniunt ex radice diuinæ gratiæ & charitatis, ideoque sunt æternæ salutis meritoria; ob negligentiam tamen & tepiditatem nostram, neque nobis tam fructuosa, neque proximo tam proficua, neque Deo tam honorifica sunt quam deberent esse.

Pro eorumdem autem reparatione recurrendum est ad

Chri.

Christum qui infinita sua munificentia & magnitudine ac illimitata potestate, dare potest nostris actionibus quantum volent valore, si que acceptatione eas extendere, ad quam plurimum utilitatem. Coram illo igitur humiliter constitui gratias ei agamus de eo, quod bonum fuerit in iisdem actionibus: quodque imperfectum in eis est recognoscamus confusi, & intus de tali imperfectione dolentes cum desiderio magno tam honoris divini promovendi, quam utilitatis proximi procurandae. Atque ipsas denique nostras exigui valoris actiones cum actionibus illius infiniti pretij offeramus illi, petendo suppliciter per passionis suae merita ac Sanctorum intercessionem, ut pro infinita sua benignitate & misericordia dignetur quod illis deest supplere ad ipsius gloriam, & nostram, ac proximorum aeternam salutem.

CAPVT DECIMVMQVARTVM.

De dispositionibus necessariis in anima ad tenendam salutis viam Penitentiā inculcandis.

SVMMARIVM.

- 160 Tales dispositiones praecipue; bona voluntas, coniunctio anime cum Christo, & conatus noster: & in quo duae priores consistant.
- 161 Noster conatus in quo consistat, quidque requirat.
- 162 Coniunctio anime cum Christo per fidem, quodque haec debeat esse recta, magna, & fortis.
- 163 Coniunctio per spem, quodque de nobis dissidendum sit, & in Christo consistendum.
- 164 Tam dissidentia de nobis quam confidentia in Christo debet esse recta, magna & fortis: & quomodo.
- 165 Coniunctio anime cum Christo per charitatem.
- 166 Ad quam coniunctionem abnegatio sui ipsius concurrat cum dilectione Christi.
- 167 Tamque illa, quam haec debet esse recta, magna & fortis, & quomodo.
- 168 Necessitas proponendi Christum ante conspectum suum ad tenendam viam salutis, & modus quo id fieri debet.
- 169 Adiuventia remota ad id faciendum.
- 170 Adiuventia propinqua.
- 171 Praecipuum eorum, quod est servare amore Christi quo modo ferventur exercitio fidei.
- 172 Quomodo exercitio spei.
- 173 Quomodo exercitio charitatis.
- 174 Humilitationis nostrae necessitas, & quae ad eam inveniunt.
- 175 Debet esse recta, magna, & fortis.
- 176 Ratio illam exercendi intra nos.
- 177 Ratio illam exercendi extra nos.
- 178 Ratio illam exercendi cum proximo.
- 179 Necessitas adversa patienti propter Christum: & quae sint ad id communita adiuventia.
- 180 Considerationes speciales inveniuntur specialiter ad patientiam adversa quae nobis inferuntur ab aliis.
- 181 Voluntaria susceptio adversorum qualis esse debeat.

Conte-  
ta in  
hoc &  
in  
quanti  
a. De  
Eorum  
quo sa-  
cra, eo  
nomin-  
ne, q  
maxi-  
ma ex  
parte  
sua pro  
filiab  
e no ex  
no Pa-  
triu per  
quos di-  
vina bo-  
nitas  
dignas  
ra offe-  
nstrā  
Sese  
ratem  
nobis  
re.

160.

**P**raecipuae istiusmodi dispositiones sedulo Penitentibus inculcandae, sunt praeter bonam voluntatem, tum animae coniunctio cum Christo, tum eiusdem animae conatus. Bona autem voluntas in hoc consistit, ut omni vira velis Dei servare mandata, declinando à malo & faciendo bonum: atque (secundum illud Apostoli in priori ad Corinth. 10. Siue manducatis siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in Dei gloriam facite) intendas Dei gloriam: seu tanquam finem, tibi proponas divinum honorem. Sub quo adverte contineri cognitionem divinae perfectionis; reverentiam & timorem maiestatis: amorem bonitatis cum exhibitione obedientiae ei debita: ac demum perfectionem tam propriam, quae proximi propter Deum: nempe ut huius voluntas fiat, ei que placeatur in omnibus. De cuius bonae voluntatis necessitate in anima, ad agendam vitam aeternae salutis meritoriam, nullum dubium est: quando quidem haec tanta merces solis mandata ex amore Dei servantibus redditur: iuxta illud Matt. 19. Si vis ad vitam ingredi serva mandata] & illud, quod in priori ad Corinth. 13. docet Apostolus, facta sine charitate nihil prodesse: ad ipsam scilicet aeternam salutem.

Valerij Tom. 1. Pars 1.

Dispositiones praeter bonam voluntatem necessariae: tum animae coniunctio cum Christo, tum conatus eiusdem animae.

SECTIO I.

**C**oniunctio autem cum Christo versatur in eo, ut anima illi inhaereat tanquam fundamento unico salutis; quae dignum nihil operari possumus nisi ipso adiuvante & cooperante. Nam ex priori ad Corinth. 3. Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est Iesus Christus.] & ex Actis cap. 4. Non est in alio quo salus: nec enim aliud est nomen sub caelo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri.] Vnde idem Dominus ait Ioan. 15. Sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palme & areiter: & colligent eum, & in ignem mittent & ardet.] Fit verò eiusmodi coniunctio per mentem & voluntatem, quibus anima beneficio fidei, spei, & charitatis affurgit ad Christum ei que ligatur: illis (quarum ministerio videtur agitur meritoria) resignatis in ipsius potestate: ut cum Apostolo ad Galat. cap. 2. dicere liceat. Vivu iam non ego, vivit verò in me Christus, pro quo facit Concil. Trid. sess. 6. de iustificatione cap. 7.

161.

Conatus demum noster consistit in sedulitate cooperandi gratiae Dei; cuius concursus cum nostro conatu perinde requiritur ad opera salutis aeternae: ac concursus Magistri tenentis ac impellentis debilem puerili manum, ad exarationem elegantium litterarum. Id quod patet per illud Apostoli in priori ad Corinth. cap. 15. Abundantius illis omnibus laboravi non ego, sed gratia Dei mecum.] De qua gratia, nihil esse quod quis dissimulat, patet per illud promissum Domini Apoc. 3. Ecce sto ad ostium & pulso, si quis audierit vocem meam & aperuerit ianuam, intrabo & cenabo cum illo & ipse mecum.] Nostri verò conatus necessitatem cooperandi cum illa, sufficienter indicant verba Domini Matth. 11. Regnum caelorum vim patitur, & violenti rapiunt illud] Luc. 13. Contendite intrare per angustam portam.]

Ceterum in eodem conatu, non tam virium naturalium robore, & quasi lacertis, quam industria versandum est; perinde ac in extruendis magnis aedificiis ad magna ligna & & grandiores lapides elevandos; apteque inter se coaptandos plus valet industria quam vires corporis quantumcumque magnae. Consistit autem talis industria; tum in eo ut semper Christum provideamus in conspectu nostro tanquam verum Deum, à quo est omne auxilium nostrum, ne ipsimet nos ipsos perdamus: iuxta illud Osee 13. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum:] tum etiam in eo ut nos coram illo humilemus, acceptum ei ferentes quidquid boni agimus: iuxta illud Iuane 26. Omnia opera nostra operatus es nobis Domine.] repellantque nos servos inuiles: iuxta illud Luc. 17. Cum feceritis omnia quae praecpta sunt vobis: dicite Ieri inutiles sumus.] Tum demum in eo, ut quae adversa contingunt in ea de qua agimus via; patienter feramus pro ipsius nomine: De quibus singulis accommodatè ad quotidianam praxim dicendum est: quid, postquam dixerimus de triplici ante memorata animae coniunctione cum Christo.

De coniunctione anime cum Christo per fidem.

SECTIO II.

**H**Anc coniunctionem significavit Apostolus cum ad Ephes. 3. dixit Christum per fidem habitare in cordibus nostris.] Eius autem necessitatem ad tenendam viam salutis indicavit, cum ad Hebr. 11. dixit, Impossibile est sine fide placere Deo.] sicut & ipse Christus Dominus cum Ioan. 17. dixit. Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:] Vnde sumi potest argumentum inculcandi poenitentiae, ut magno studio diuinum fidei donum in se conseruet: tum refrenando mentem à vanacuriositate, eamque captivando in obsequium Christi:] iuxta praescriptum eiusdem Apostoli in posteriori ad Corinth. cap. 10. Tum voluntatem repurgando à sordibus peccatorum, quas ad infidelitatem disponere idem Apostolus satis indicavit, cum in posteriori ad Timoth. cap. 3. dixit: Corruptos mente & re-

162.



probos circa fidem, captivas ducere mulierculas oneratas peccatis.] Tum de munim implorando Christi auxilium, ut adiuerit incredulitatem nostram; quod petijt pater, volens obtinere filij sui liberationem à Dæmone *Mari 9.* fidemque ipsam nobis a laugeat, quod sibi petierunt Apostoli *Luc. 17.*

Inculcandam etiam est eidem Pœnitenti, quod fides ipsa requirit; Tum rectitudinem, quâ sit absque obliquitate vilius erroris; Tum magnitudinem, quâ extendat se ad omnia quæ tanquam diuinitus reuelata proponuntur ab Ecclesia Catholica; quorum præcipua & cæterorum velut fundamenta sunt ea, de quib. rudem erudendum esse diximus in priorē sectione præcedentis capituli: Tum demum fortitudinem, qua fiat ut nulla tentatione vel apparentia rationum ad alterinarum, ipsa mutetur.

De eadem coniunctione per spem.

SECTIO. III.

163. **A** Nimæ nostræ cum Christo coniunctionem beneficio spei indicant verba illa *Psal. 72.* Mihi adherere Deo bonum est, ponere in Domino Deo meo spem meam.] Et *Esaiæ 50.* Quis ambulauit in tenebris & non est lumen ei, speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum.] Illius verò necessitatem ad salutem indicauit Apostolus cum dixit *ad Rom. 8.* Spe salui facti sumus.

Inculcandum est autem Pœnitenti vsum spei coniungentis nos Christo, consistere in eo, ut de nobis diffidentes, in Christo ipso confidamus omnino. Quod nobis necessarium esse ad pergendum in via salutis, patet per illud *posterioris ad Corinth. 3.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est.] Neque dubitare stant infirmitates nostræ ex peccato originali in nobis relicta, prauaque consuetudine auctæ: ignorantia inquam, quâ nescimus; imbecillitas, quâ non possumus quantumuis sciremus; & malitia, quâ nolumus, licet sciremus & pessimus viam salutis tenere, seu vitam hanc agere secundum Dei voluntatem, ad promerendam æternam salutem. Id est in nobis, tanquam ex nobis, æternæ mortis potius, quam salutis semina habeamus: neque infeliorem nobis ipsis, patiamur aduersarium in eadem salutis via. In quam sententiam D. Paul. ait *ad Rom. 7.* Scio quod non habitat in me, hoc est in carne mea, bonum.] Constitutum igitur habeamus, nobis esse penitus innitendum in Christo, qui summâ sua scientia, potentia, & bonitate, scit & potest, vultque nostræ infirmitati abundanter succurrere: ut pote qui incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine natus, innumera operatus & passus in vita, ac tandem in cruce mortuus, ut vitam æternam habeamus & abundantius habeamus, iuxta illud *Ioan. 10.* Veni ut vitam habeat & abundantius habeat.] Etenim Sapientia est æterni Patris, ut omnia cognoscat: & ipsa Dei virtus & potentia, ut quidquid velit hoc agat & perficiat: ac etiam bonitas infinita, ut in nos velit omne bonum effundere, & effundat.

164. Addi potest curandum esse, ut tam nostra diffidentia de nobis: quam confidentia in Christo: sit tum recta, tum magna, tum fortis. Recta autem erit diffidentia de nobis, si proficiatur ex desiderio consequendi auxilij diuini, ad vitam ex Christiana pietate agendam. Magna verò erit, si congruenter dicto Apostoli ante relato *posteriori ad Corinth. cap. 3.* extendat se ad cogitationes etiam minimas: fortis demum censebitur, si sit sine deiectione animi, omnemque desperationem excludat. Simili er confidentia in Christo erit recta, si eorum sit, quæ à Christo petere indignum non est, nec à salute alienum, iuxta ea quæ communiter traduntur seruanda esse in oratione. Et erit magna, si excludat omnem diffidentiam de parentia Christi cura nostræ: quæ quanta sit declarauit. *apud Esai. cap. 49.* illis verbis. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio vteri sui, etsi illa oblita fuerit, ego tamen tui non obliuiscar.] Id quod posito in angustiis fiduciam addit *orandi eum S. Iob. cap. 17.* Libera me & pone me iuxta te, & cuiusuis manus pugnet contra me.] Erit denique fortis, si quibuscumque exortis tentationum procellis firma persistat, ut accidit in eodem S. Iob. cum in *ca. 13.* dixit: Etiam si me occiderit in ipso sperabo.] Et in Dauid cum in *Psal. 26.*

dixit: Si consistant aduersum me castra non timebit cor meum, si exurgat aduersum me prælium in hoc ego sperabo.]

De eadem coniunctione per charitatem.

SECTIO IV.

165. **H**anc ostendunt verba *1. Ioan. cap. 4.* Deus Caritas est, & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.] Ipsa est per quam nos tanquam oleastri in Christum tanquam in bonam oliuam inserti (*iuxta Apost. ad Rom. 11.*) participes efficiamur vocationis qua vnxit illum Deus Spiritu sancto.] *Act. cap. 10.* Indeque nascitur ille voluntatis affectus; quo Sancti sic ipsum amplectuntur, sicque in eo conuiscunt: ut pro nulla re mundi; siue commoda, siue incommoda, velint ab eo separari. Nec quidquam sit quod ipsi magis exhorreat quam peccatum mortale, per quod fit talis separatio. Hæc enim causa est cur tam dira & dura Sancti Martyres supplicia voluntarie passi sunt: ne videlicet à Christo ipso, momento temporis separati inuenirentur. Inde etiam prouenit solennis voluntium piæ in Christo viuere, quotidianarum mortificationum vsus: quo ob illius amorem exuitur amor proprius, ac reprimuntur natura corruptæ, prauæque consuetudinis propensiones ad peccatum. Id quod Apostolus *ad Gal. 15.* vocat crucifigere carnem suam cum vitis & concupiscentiis. Et in *cap. 8. ad Rom.* Spiritu facta carnis mortificare. Quo loci aperte etiam significat tale quid necessarium esse ad agendam vitam æternæ salutis meritariam, inquit: Si secundum carnem vixeritis moriemini, si Spiritu facta carnis mortificaueritis viuētis.]

Vita igitur Christiana in voluntate (quæ est illius proximū principium) præter diffidentiam & confidentiam, de quibus in præcedenti sectione dictum est, requirit tum abnegationem sui, qua reprimatur amor proprius, seu concupiscentia, quæ cum conceperit parit parit peccatum.] *Iacob. 1.* Tum Dei amorem: ex quo vita agenda est, ut fit æternæ salutis meritaria: iuxta ea quæ de necessitate Charitatis latius docet D. Paulus in *priori ad Corinth. 13.* Ad quod etiam facit quod præclaudit D. Bernardus *serm. 3.* in tempore resurrectionis, habet de necessitate mutandi voluntatem propriam in communem.

167. Atque de abnegatione sui docendus est Pœnitens, quod ea debeat recta esse, magna, & fortis. Recta autem censebitur primò, si proueniat ex zelo iustitiæ Christianæ, qua abnegantes impietatem, & fatalitatem desideria, sobriè iustè & piè viuimus in hoc sæculo: ad quod ut nos erudiret, Dei verbum in carne apparuisse habetur ex *cap. 2. Epist. ad Titum.* Secundò, si tendat ad Dei gloriam, quæ scopus est præfixus vitæ Christianæ: dicente Apostolo in *priori ad Corinth. 10.* Sive manducatis, siue bibitis, siue quid aliud agitis, omnia ad Dei gloriam facite. Tertiò, si procedat secundum Deum: nempe sequendo, imitandoque Christum; qui passus est pro nobis, relinquens exemplum ut sequamur vestigia eius. *1. Pet. 2.* Magna verò censebitur, si anima nihil velit, nisi propter Deum: non cognoscere quidquam, non agere, non quiescere, non delectari, non honorari, ac ne viuere quidem. Fortis demum censebitur, quando anima sulca Dei auxilio steterit firma aduersus impetus amoris proprii, & illa quæ secundum eundem amorem sunt, auerfabitur: contrariæque ut paupertatè, dolore, contumeliis & similia amplectetur exemplo Christi, qui talia amplexus est pro nostra salute, monstrans nobis viam quæ ad illam ducit.

Similiter de amore Dei, docendus est; quod debeat quoque rectus esse, magnus, & fortis. Rectus est autem, cum Deum diligimus, quoniam prior dilexit nos, seu propter suam bonitatem infinitam, qua innumeris nos auxit beneficijs: ita ut honorem ipsius constituamus finem omnisi desiderij nostri. Magnus verò sic debet esse, adeo que super omnia, tantumve ut nihil sit, quod plus, immo quod tantum amemus, quam Deum. Propter ipsam autem amemus proximum tanquam nos ipsos: non modo amicum, sed etiam inimicum: quandoquidem D. Ioannes in *sua Epistol. 1. cap. 4.* mendacem allerit eum, qui dicit Diligo Deum & fratrem suum odit.] Denique fortis esse debet, ut nullis aduersis repestat, aut tentationibus extingatur; iuxta illud *Cant. 8.* A quæ multæ non potuerunt extinguere charitatem] & illud *ad Rom. 8.*



Certum sum quia neque mors, neque vita, neque Angeli neque Principatus, neque Potestates, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura vlla poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.]

Atque hæc sunt quibus ad vitam æternæ salutis memoriam agenda, id est efficiuntur interuentum Theologiarum virtutum: quæ etiam in nobis sacrarum Trinitatis imaginem illustriorem reddunt: scilicet omnipotentiam Patris, fidem, sapientiam Filij, & charitatem bonitatem Spiritus sancti, referendi vim corroborante in ea. Nos etiam instar Clauorum, ita Christo configuntur cruci, vt non nostro, sed illius nutu vitam agamus: quod de se Apostolus ad Gal. 2. sic ait: Christo confixus sum cruci, viuo ego non iam ego, viuit verò in me Christus.] Quod vtrumque censerem potest simul inculcatum introductione illius pij vsus, quod initio cuiusque operis signum crucis in nobis formamus, dicendo: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

De conatu animæ, adhibiti industriâ prouidendi assidue Christum in conspectu suo.

## SECTIO V.

168. **H**uius necessitatem ad salutis viam tenendam ostendunt illa verba Psal. 9. Non est Deus in conspectu eius, iniquitate sunt viæ illius in omni tempore: & illa Psal. 15. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear.]

Prima igitur & commendatissima industria ad vitam sanctæ agenda, est sibi ante oculos proponere Christum, impletando ipsius misericordiam, & timendo iustitiam. Quoniam autem id difficilissimum sit secundam naturam ipsius diuinam, debemus cogitare ipsum secundam naturam humanam contunctam diuinitati. Hic enim est vnus ex fructibus Incarnationis Diuini Verbi, vt nostro modo sensibilem & imaginabilem possimus concipere, & quasi oculis cernere Emanuelem (quod est interpretatum Nobiscum Deus, ex Matth. cap. 1. sub finem) siue, quod idem est, hominem in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter] ad Coloss. 3. Quod quidem fieri debet in ea figura, quæ ad id quod ipso iuuante conatur, sit magis accommodata: siue in fantis iacentis in præsepio, vel inter matris brachia constituti; siue pueri inter doctores positi interrogantis ac respondentis cum omnium admiratione; siue viri præ filiis hominum speciosi, qui in aliorum salute procuranda totus incumbat, tum mirabilia faciens, tum multa dura & ignominiosa patiens; siue in Cruce morientis, siue à mortuis resurgens, siue in celum ascendens aut sedentis in dextera Dei Patris. Neque refert quod solummodo secundam diuinitatem vbi que adsit; nam secundum humilitatem existentem in celo, nihilo sumus occultiores, quam si hic nobis præses adesset. Hortandus igitur est Penitens, sedulam operam dare, vt in eo Christi memoria vigeat; & cum ambulat, vt comitantem: cum sedet, vt assistentem: cum loquitur, vt testem: cum comedit recreat aut quiduis agit vel patitur, vt assistentem, ac spectantem cogitet: & maxime cum in illis versatur, in quibus errare solet; & in illis in quibus maxime indiget ipsius auxilio, ob deuotionem in illis requisitam: vt in Sacramentorum vsu, & in aliis spectantibus ad diuinum cultum, & præsertim in celebratione sacrificij Missæ.

De adiumentis prouidendi assidue Christum in conspectu nostro.

## SECTIO VI.

169. **A**diumenta verò ad id Penitenti indicanda, quædam sunt remota, quædam propinqua. Primum illorum est, id ipsum vehementer optare. Secundum orationibus nostris idem studiosè petere: Tertium in silentio & quiete, quam sæpe possumus seruo meditari mysteria vitæ ipsius Christi: memoria enim facile reddit, quod ei seruo imprefsum fuerit. Quartum ponderare quanti momenti sit in humana vita: siue intellectus vsus spectes, siue voluntatis, siue aliarum facultatum, ad Christum conuerti, & spem omnem appellendi ad portum salutis bene viuendo, reponere potius in auxilio ipsius, & actuali impulsu, quam in habitibus nostris siue naturalibus siue acquisitis siue etiã diu-

nitus infusus; sicut appulsus nauis ad portum plus pendet ex prospero afflata ventorum quam ex ipsius armamentis: & recta exaratio literarum plus pendet ab impulsu, quo magister mouet manum pueruli, quam ab aliqua huius habitilitate. Ad quod confirmandum induci possunt verba Dei Ierem. 17. Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius, &c.] Atque ad obtinendum abundantius à Christo hunc impulsum, quando in executione mandatorum ipsius versamur; perinde conducit in conspectu nostro ipsum prouidere, ac seruum iuuari, ad magis experiendam domini sui ditissimi liberalitatem, ita versari in eius obsequio, vt semper sit in conspectu ipsius.

170. **A**diumenta autem propinqua prouidendi Christum assidue in conspectu nostro sunt. Primum in eo opere assuefacere se, procedendo sensim, donec per consuetudinem acquisierimus facilitatem: v.g. designatis ad illud horis, in quibus eo vti nobis magis necessarium esse iudicamus; siue in illis defuerimus, peccatam aliquam nobis imponemus. Secundum est statuere firmiter nihil nos facere velle in quibuscumque negotiis & occupationibus, nisi propter Christum, & secundum Christum: etiam in recreationibus corporis; cui quoque ex charitate consulendum est: quia Dei est, & vt Deo seruiari. Tertium est, cum ratio dicat non nobis aliquid faciendum vel omittendum, illud exequi quasi ex Christi præsentis consensu, vel iussu, & propter ipsius amoris: aliud facturum si aliud ei placere intelligeremus. Quartum est, in imagine aliqua denota & ad nos iuuandos specialiter accommodata, quasi iuxta non constituere Christum qui spectator sit & testis eius quod loquimur, vel agimus, aut patimur. Quintum est inter agendum habere commendatum vsum aspirationum voluntatis, eleuationumque mentis ad Christum: petendo vt nobis adsit nec nos deserat: vt fieri potest per illud Psal. 24. Oculi mei semper ad Dominum quoniam ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me & miserere mei, quia vnicus & pauper sum ego: & illud Psal. 26. Ne auertas faciem tuam à me: & ne declines in ira à seruo tuo. Adiutor meus esto, ne derelinquas me, neque despicias me Deus salutaris meus.] Sextum est, studium imitandi illum in agendo, nostrasque actiones, illius actionibus quasi alteri impostas, offerendo ipsi. Quod quidem est vitam ordinatam omnino ad ipsius gloriam agere, insistendo vestigijs ipsius, adeoque ponendo nobis ante oculos: primo obedientiam ipsius erga patrem, secundò zelum gloria diuinæ, tertio dilectionem hominum, quarto humilitatem, quinto patientiam & ceteras præstantissimas virtutes: quæ cum fulgeant eminenter in ipsius passione; eiusdem proinde memoria recolenda est assidue. Præsertim cum ex Apostolo in priori ad Corinth. cap. 1. ipsa quæ ludæis est scandalum, gentibus autem stulticia, nobis sit sapientia & virtus.] vt potentem nostram illuminans, & voluntatem roborans, ad abnegandam impietatem, & carnalium desideria; atque ad sobrietatem, & pie viuendum in hoc sæculo iuxta eundem Apost. ad Titum. 2.

De præcipuo adiumento, quod est seruire Christi amore, & quomodo talis seruos foueatur.

## SECTIO VII.

171. **P**ostremum adiumentum efficacissimum; est seruire in nobis ipsius Christi amorem. Ea enim vis est seruientis amoris, vt rem amatam faciat quasi ob oculos assidue versari; prout quotidiana experientia docet in illis, qui perditamant. Fouetur autem in nobis talis serui exercitio trium Theologiarum virtutum & deuota Eucharistiæ sumptione, de qua ritè ac fructuosè obeunda commodiore loco dicendum erit ex infrascripto.

Exercitij autem fidei vnus modus est, altissimè, piissimèque de Christo sentiendo, meminisse eorum quæ ipse egit & passus est pro nobis. Nempè exinavit semetipsum formam serui accipientis: & alique est humanis infirmitatibus, (excepta ignorantia & peccato) obnoxius; paupertati nimirum & indigentia; laboribus, & doloribus; contemptui & calumnia; tandemque acerbissimæ morti. Meminisse, inquam, cum affectu compassionis erga illum, & detestationis peccatorum nostrorum: ponderando talium in eo infirmitatum;

multitudinem & diuturnitatem, quas innocentissimus nobilissimus, nostrique amantissimus pro iisdem peccatis nostris abolendis pertulit. De qua re plenior instructio peti potest ex Francisco Atria in lib. De meditatione pio & erudito.

Non omittemus tamen (quod vtil esse potest ad fovendam eam, de qua agimus Christi pro nobis passim memoriam salutarem) quæ in ipsa passione gesta sunt ordinem qui distingi possit ad hunc modum, pro varietate locorum in quibus contigerunt.

## In cœnaculo.

- 1 Suorum pedes abluir.
- 2 Corpus in cibum præbuit.
- 3 Sacerdotes instituit.
- 4 De proditore monuit.
- 5 Pium sermonem habuit.
- 6 Hymnum Deo exhibuit.

## In orto.

- 1 Coram suis contristatur.
- 2 Ter suum Patrem precatur.
- 3 Ab Angelo consolatur.
- 4 Illum iudas osculatur.
- 5 Illumque Petrus ruiatur.
- 6 Ac derelictus ligatur.

## In domo Annæ.

- 1 Annæ interrogatio.
- 2 Christi dulcis responsio.
- 3 Eius colaphizatio.
- 4 Seruicque increpatio.
- 5 Ostraria questio.
- 6 Turpis Petri responsio.

## In domo Caiphæ.

- 1 A testibus accusatur.
- 2 A Caiphæ adiuratur.
- 3 Ab eodem condemnatur.
- 4 Rursus à Petro negatur.
- 5 Christus à seruis velatur.
- 6 Mane rursus condemnatur.

## In domo Pilati.

- 1 Pilato est presentatus.
- 2 A Iudæis accusatus.
- 3 Ab illo examinatus.
- 4 Innocens est declaratus.
- 5 Falsis rursus oneratus.
- 6 Tacentem Praeses miratus.

## In domo Herodis.

- 1 Herodi presentatio.
- 2 Eius interrogatio.
- 3 Iudeorum accusatio.
- 4 Nulla Christi responsio.
- 5 Alba vestis irrisio.
- 6 Pacique reformatio.

## In prætorio.

- 1 Latroni comparatur.
- 2 Grauius flagellatur.
- 3 Purpurâ decoratur.
- 4 Et spinis coronatur.
- 5 Populo presentatur.
- 6 Iniuste condemnatur.

## In monte Caluarie.

- 1 Dixit crucifigitur.
- 2 Pie in cruce loquitur.
- 3 Sanctis se moritur.
- 4 Latus eius aperitur.
- 5 De cruce deponitur.
- 6 Deuoteque sepelitur.

De his legenda est historia Evangelica apud D. Matthæum cap. 26. & 27. D. Marcum cap. 14. & 15. D. Lucam cap. 22. & 23. & D. Ioannem à cap. 13 ad 20. Accum eorum memoria, coniungenda est compassio de tanta Christi afflictione, cum beatissima Virgine. Secundò, compunctio de propriis peccatis, cum B. Petro & B. Magdalena. Tertio, studium imitationis, exemplo Sanctorum in Ecclesia militantium. Quarto, gratiarum actionis cum electis in cœlo regnantibus. Quintò, admirationis; quis, quid, à quibus, pro quibus, quo affectu talia gererentur Sextò, exultationis pro redemptione nostra, & tanta Dei clementia. Septimò, feruentis amoris erga tantum nostrum amatorem.

Alter modus exercendæ fidei erigens nos ad spem, est considerate Christi merita parva tot suis actionibus & passionibus cum tanta patientia, humilitate, obedientia, & charitate obitis, esse inestimabilia, atque adeo infinita, tanquam profecta ex gratia sue mensura, & ex verbi diuini persona infinita, humanam supplente in ipso Christo. Siquidem meritum tra sequitur dignitatem personæ operantis, vt quo ipsa maior fuerit, eo sit operatio sublimior, maiorisque meriti. Considerate pariter quod Christus nobis tanquam caput membris meruerit: quando quidem ad hunc finem tanta egit & passus est, vt à peccato seruituteque Diaboli liberaremur, iustificaremur, & glorificaremur. Quod suæ IESV nomen indicat, de quo Angelus ad S. Ioseph Matthæi i. Vocabis nomen eius IESVM. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.]

Tertius modus ad ardorem Charitatis nos promouens, est ponderate, quam vehemens sit in nos Christi amor, qui ipsum vnuerforum Dominum summum, fecit vincula pati & verbera: & gloriam Angelorum, fieri opprobrium hominum, beatitudinem Sanctorum, diris tormentis cruciari: ac demum immortalæ, mori: vt nimirum ipsius humiliatione eleuaremur, ignominia, glorificaremur, &c. Quibus ac-

cedit ad amoris cumulum institutio Sacrosanctæ Eucharistiæ, per quam seipsum totum communicat nobis in pignus æternæ gloriæ, & memoriale oblationis in cruce factæ: per quam nobis ad eandem gloriam patet aditus.

Exercitij verò spei modus est primò, in Christo fiduciam, eamque firmissimam habere: primò iustificationis nostræ. Ipse enim est qui lauit nos à peccatis nostris in sanguine sue] Apoc. 1. & est nostra redemptio, seu liberatio à captiuitate & seruitute Diaboli, iuxta illud Apoc. 5. Redemisti nos in sanguine tuo: & illud i. Petri 1. Scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi & incontaminati. Nostra item emundatio à fordibus, & curatio à vulneribus peccatorum: dicente D. Ioanne in prima sua Epist. cap. 1. Sanguis testis Christi filij eius emundat nos ab omni peccato: & D. Petro in sua item prima cap. 2. Qui peccata nostra ipse pertulit super lignum: vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Ad demum nostra reconciliatio, seu restitutio in Patris gratiam, & filiorum adoptionem. ] de qua D. Paulus ad Rom. 2. Per quem (de Christo loquitur) habemus accessum per fidem in gratiam istam & gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.

Secundò verò, eandem firmissimam fiduciam habere promotionis nostræ in omni bono: & nominatim in gratia & virtutibus, quibus sobriè, quoad nos: iuste, quoad proximum, & piè, quoad Deum viuere possumus in hoc sæculo expectantes beatam spem. ] De plenitudine enim ipsius omnnes accepimus Ioan. 1. Ipseque est illuminatio, sanctificatio, & virtus nostra: nos subinde donis suis augens, & nostros defectus supplens in via salutis, iuxta illud quod ipsemet ait Ioan. 14. Nemo venit ad Patrem nisi per me. ]

Tertio autem, eandem adhuc fiduciam habere perfectionis nostræ, ad gloriæ consecutionem. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat saluos fieri] Actorum 4. Ipse via est veritas & vita] Ioan. 14. Tāquam via nos instruens, & promouens ad omne bonum: & tanquam veritas, nos liberans à seruitute peccati iuxta illud Ioan. 8. Veritas liberabit vos. ] Quod de liberatione à seruitute peccati dictum esse, satis patet consideranti quæ ibidem antecedunt & quæ sequuntur. Denique tanquam vita nos ad gloriam euehens; iuxta illud ad Coloss. 3. Cum Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. ] Ceterum ex immenso illo amore, quo nos complectitur Christus, ista nobis ipse audissimè cupit; plulque per infinitam suam erga nos misericordiam paratus est talia conferendo nostri misereri, quam nos à miseria nostra liberari. Quantum enim sciat nostram salutem satis ostendunt; tum alia quæ ipse pro ea gessit; tum maxime, quod se exinanierit, verus Deus accipiens formam serui; quodque tam acerba, & ignominiosa morte vitam finire voluerit: & quod seipsum nobis in cibum vitæ æternæ reliquerit: ac demum quod sedens ad Patris dexteram pro nobis apud eum Adlocutus sit i. Ioan. 2. Ex quibus per exercitium fidei bene consideratis ac ponderatis, facile spei exercitium de quo agimus sequetur: conuincente intellectu ratione ea, quam D. Paulus attigit ad Rom. 8. verbis illis. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quo modo non etiam cum illo omnia nobis donauit? ]

Modus denique exercitij charitatis est, eum redamare qui tantopere nos ab omni æternitate amauit, vt ipse tantus cum sit, se adeo mirabili modo nobis dederit in carne, in cruce, in Eucharistia, & adhuc mirabiliore daturus sit in cœlo. Ex quo tanto motiuo, amor proueniens in voluntate terrenis affectibus minime deprauata, non nisi feruens erit; quem sequatur assidua Christi memoria; & comitetur, tum actio gratiarum, tum veneratio non modo sapientiæ, potentie, & bonitatis ipsius diuinæ, atque singularium donorum cælestium, quibus quatenus homo exornatus est supra mensuram] iuxta illud Ioan. 3. Non enim ad mensuram dat Deus spiritum] sed etiam infirmitatum pro nobis susceptarum: puta dolorum, contumeliarum, aliarumque molestiarum, quas amabiles & venerabiles effecit; nobis per eas tot ac tantorum bonorū author existēs. Comitetur item: tum delectationis Christi, non modo in virtutibus; sed etiam

In infirmitatibus: ut paupertatem diuitiis: ignominiam & iniurias, gloria & laudi humanae praeferebant; vestibus iis induamur, quibus ipse indutus est. Tum etiam imitatio, qua insistentes ipsius vestigiis, cum charitate in Deum & proximum, ac zelo diuinae gloriae, patientiaque & humilitate, cum quibus egit & passus est Christus, agamus & nos ac patiamur in hac vita.

*De conatu anime, adhibita industria humiliandi se in conspectu Christi.*

## SECTIO VIII.

174. **Q**uantumcumque multa & magna pro Christi gloria egerimus, aut patiamur, consentaneum est, ut in omni vita nos in conspectu ipsius humiliemus, nobisque ex vera nostra cognitione vilescamus: cum vinum nostrum mixtum sit aqua: id est, bono quod facimus, multas imperfectiones admisceamus: ut pro e qui defumus in plurimis, quae a nobis praestari possent, interea existentes Deo debitores supra quam cogitari potest. Cuius humiliationis necessitatem ad tenendam salutis viam, satis indicant verba Domini. *Matth. 18.* Amen dico vobis, nisi conuerſi fueritis, ut efficiamini sicut paruuli; non intrabitis in regnum caelorum.] *Et in praecedenti cap. 16. & Luc. 9.* Qui vult venire post me abneget semetipsum, i adde quod *Iacobi 4.* Deus superbis resistit & humilibus det gratiam.] sine qua gratia irritus est omnis noster conatus progrediendi in ipsa salutis via dicente Domino *Ioan. 15.* Sine me nihil potestis facere.] Ad illius vero exercitium, sequentia nos iuuant. Primum, ante oculos habere Christum humiliatam ad nostram instructionem & pro uocationem. Secundo, intendo nostram actionum imperfectionem, & debiti magnitudinem, ac Dei, cui debet, ur, infinitam dignitatem; erubescere ac dolere quod in tam multis deficiamus. Tertio, excitari spe in Christum mediatorum nostrum, ac teneri desiderio obtinendi ab eo tantam perfectionem. Quarto eamdem deo: e petere ab ipso, qui cum nostri manissimus sit, atque exie liberalissimus, non negabit illam, quam vobis ab ipso dilecerimus, iussi *Matth. 11.* dicens Discite a me, quia mitis sum & humilis corde.]

175. **I**am ut perfecta sit humiliatio huiusmodi, debet recta esse, magna & fortis. Recta est, cum excludit fictionem, includit directionem (quae maxime necessaria est in ordine ad externa signa, quibus illa se foras prodit) proceditque ex amore veritatis & iustitiae, proposita Christi imitatione; ac demum tendit ad Dei honorem: quem quidem in verè humilibus nulla unquam ratione detinere, sibiue usurpare velit. Magna vero est cum et ad paulò post artingenda de variis rationibus illius exercendae: fortis denique est cum nec iniuriis debilitatur, nec honoribus diminuitur, sed potius augetur; cum verè humilis se honoribus indignum iudicet ex animo: dicente Domino *Luc. 17.* Cum feceritis omnia quae praecipita sunt vobis; dicite serui inutiles sumus.] Ceterum & intra nos, & extra nos, & cum proximo exercetur nostra humiliatio in conspectu Christi. Id autem qua ratione fieri debeat, in particulari explicandum est.

*De ratione humiliatiōnem exercendi intra nos.*

## SECTIO IX.

176. **I**nter nos igitur exercetur humiliatio nostra in conspectu Christi: tum ex parte intellectus, tum ex parte voluntatis. Aque ex parte intellectus, existimando nos esse illius seruos inuiciles, ob imperfectionem nostri obsequij, quod per nostram corruptionem, nequitiam, repiditatem & incuriam, mixtum est vanitate, negligentia, ingratitude, aliaque multiplici indignitate: ita ut longissimè ab ea excellentia, cum qua Deo exhiberi exigit maiestas ipsius infinita, & multitudine magnitudoque benefactorum ipsius in nos collatorum: tam communium, quam particularium: ex quibus nascuntur innumerae obligationes obsequendi in omnibus tanto benefactori, nec aliter quam secundum ipsius beneplacitum, utendi eidem beneficiis. Quibus obligationibus quam non respondeamus, satis significatur cum *Isaie 64.* iustitiae nostrae dicuntur tanquam pannus menstruatae.] Sed esto respondeas officio, si iuste egeris (ut dicitur *Iob. 35.*) quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? Sicut si peccaueris (quod ibidem additur) quid nocebis ei, & si mul-

tiplicatae fuerint iniquitates tuae quid facies contra eum?] eundem existimationis comes est accusatio, qua coram Christo nos constituimus reos, nec modo indignos pane quo vescimur; sed etiam poena dignos ob tot mala commissa, tot bona omisa, tot dona perdit, vel seruata infructuose, neque ad vsum in quem accepta erant reuocata: tot demum peccata perpetrata in ipsum, nos interea tam misericorditer sustinentem, immo nouis quotidie beneficiis cumulantem. Quod si in mentem veniant bona quae egerimus, non est in eis considerandis haerendum, nisi exigeret Dei gloria: atque & tunc; totum eidem sincere tribuendum est à quo procedit, iuxta illud in priori ad *Corinth. 4.* Qui habes quod non accepisti? sibi verò nequaquam: quia id & iniquum esset, iuxta illud, quod ibidem sequitur] Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis] & perniciosum, quia bonum opus inde tanquam vrede ractum marcescit, infructuosumque est, iuxta doctrinam Domini *Matth. sexto videndum.*

Ex parte autem voluntatis, humiliatio intra nos exercetur volendo bona, si quae in nobis sunt, latere potius quam patere, iuxta eandem Domini nostri doctrinam, nosque potius ignorari & contemni, quam celebrari & magnificari. Ad quod facit illud *Ecclesiastici 11.* Ante mortem ne laudes hominem quemquam] Item nostram voluntatem infringi potius, quam ex illius arbitrio agi, in quo maxime consistit abnegatio sui, de qua Dominus *Matth. 16. & Luc. 9.* verbis illis, Qui vult venire post me abneget semetipsum.] Denique subesse potius, quam praeesse iuxta exemplum Domini. Qui non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret.] *Marci. 10.*

*De ratione exercendi humiliatiōnem extra nos.*

## SECTIO X.

177. **E**xtra nos autem in conspectu Christi humiliatio nostra exercetur in sermone, gestu, incessu, vestitu, alisque exterioribus signis. In sermone curandum est ut pauca sint, & considerata verba nostra, sine clamore, pertinacia, & defensione defectuum nostrorum, & hyperbolica amplificatione rerum ad nos pertinentium; de quibus nec loquendum est libenter, nisi notabilis utilitas exigit, cum non sit verè humilis, velle res suas notas celebretque esse: sed reuagationem ex dictis profectam, omnemque ostentationem denitare. In gestu verò & reliquis, curandum est ut medium teneatur inter excessum, & defectum: sicque mediocritas, quae virtutis est propria, retineatur. Ad quod pro regula statui debet communis vsus virosum prudentium simul & humilium: neque cum id agimus quod decet, quid caeteri, etiam ij quibuscum viuimus contra faciant, aut dicant vel de nobis sentiant, curandum est. Excessus verò ille contingit cum nimis clara & splendida affectantur: defectus autem cum nimis obscura & sordida: qui eo periculosior est, quo maiorem habet speciem humilitatis. Ad excessum quoque spectat in executione nostrorum operum; ea quae supra vires nostras sunt, aggredi. Quaequam si talia iniungantur à Superioribus audiendum est illis, non quidem fidendo in nobismetipsis; sed in auxilio diuino, quod humiliter obediētibus adesse solet; etiam in iis quae supra vires nostras esse apparent: ita ut obedientia in talibus sit optima moderatrix & regula; praesertim dicente Domino *Luc. 10.* Qui vos audit me audit.]

*De ratione exercendi humiliatiōnem cum proximo.*

## SECTIO XI.

178. **C**um proximo denique nostra humiliatio exercetur. Tum obediendo Superioribus, nosque illis submittedo totos, hoc est, non tantum quoad executionem eorum quae praeeperint, sed etiam voluntatem & iudicium nostrum: volentes quod ipsos velle nobis constiterit, & acquiescentes ipsorum iudicio in omnibus in quibus non est peccatum: iuxta illud D. Bernardi in *tract. de precepto & dispensatione.* Sive Deus sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò obsequendum est curà, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria non praecipit homo.] Tū etiam posthabedo nos caeteris omnibus: quia cum nostrorum defectuum nobis conscij simus, alienorum

verò

vetò ignari (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 2. Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est?) neminem sane habemus, quem in conspectu Christi, nobis deteriorem existimemus. Et ita D. Paulus. peccatorum primum fere esse dixit in prioris ad Timoth. cap. 1. Hocque nituntur tanquam fundamento ea quæ traduntur de ratione exercendi iustissimo diuinationem. Sunt autè primum quidem, vt reputemus alios superiores nobis, iuxta illud ad Philipp. 2. in humilitate superiores sibi inuicem arbitantes. Secundum, vt alios honore præueniamus, iuxta illud ad Rom. 12. Honore inuicem præuenientes: illis scilicet potiores partes deferendo. Ad quod vtrumque inducemur intuendo mente in eis, agnoscendoque ac venerando Deum tanquam in ipsius imagine & filio, Christi que membro. Tertium est, vt à nullo exigamus præstari nobis omnia, quæ ratio posceret, cum nec nos Deo præstemus plurima quæ ei iustissime debemus. Item aliorum defectus libenter patiamur, scientes quod tam Deus, quam homines patiantur nostros: non tantum æquales illis, sed etiam maiores. Quartum est, vt reprehensiones factas nobis ab aliis, feramus æquo animo nostrum errorem confitendo cum opus est, & alienum tegendo vel excusando si res patiantur. Quintum est, vt pauperum & abiectionum conuersionem præferamus conuersioni diuitum & nobilium, nisi maior Dei gloria contrarium postulet: quia in illis expressius elucet imago humilitatis Christi nobis in exemplum propositi, qui non habuit vbi caput suum reclinat. [ex prædicatione Davidis in Psal. 21. & de spectu ac nouissimo vitorum.] ex prædicatione Esaiæ 53. cap. Neque his obstant perfectiones, quas nobis inesse ita notamus, vt eas negare non possimus: quia omnes sunt Dei dona (iuxta illud ante citatum. Quid habes quod non accepisti?) de quibus exacta ratio reddenda est, vnde præbetur nobis magna occasio sequè diuinitu Sapiētis Ecclesiastici 3. Quamò magis es humilia te in omnibus.]

De conatu, adhibita industria ferendi patienter aduersa pro Christo.

#### SECTIO XII.

179. **A**dversata tanquam à quatuor regionibus flantes venti, in nos irunt, immilla vel à Deo, nos paternè castigante, vel à Dæmone nos hostiliter persequente, vel à proximo nos affligente, vel denique à nobis ipsi: qui tum ad extirpanda vitia tum ad virtutes inferendas tum etiam ad æternam vitam promerendam suscipimus voluntariè varia afflictionum genera. Necessitas autem illa patienter ferendi pro Christo ad tenendam salutis viam, ex eo patet, quod Christus Dominus volenti post se venire præscribat, vt abnegare se ipsum, ita & portare crucem suam, seu patienter ferre quæ in ea via contigerint aduersa, & incommoda: ita vt patientia nobis sit necessaria vt voluntatem Dei facientes reportemus promissiones. prout D. Paulus inculcat ad Hebr. cap. 10. Ratio verò illa patienter ferendi, quædam communis est aduersis omnibus: quædam particularis ac propria iis quæ ab aliis infliguntur, & quædam illis quæ ipsimet nobis infligimus.

Atque ad communem, ista pertinent. Primum ac præcipuum, conuerti ad Christum implorando ipsius auxilium, ipsumque intendo tanquam exemplar instruens nos, per ea quæ ipse pertulit: tum in tota vita, tum maximè in illius fine, adeo dura ac dura, coniunctaque cum tanta dolorum acerbitate, tantaque ignominia, ac omnis generis indignitate, vt nihil patiamur tam graue, quin longe grauius & indignius passus ipse sit pro nobis: vt facile aduertet qui bene eiusdem passionis circumstantias expendit. Vnde sublata nobis est omnis occasio conquerendi: cum sufficiat discipulo, si sit sicut magister eius: & seruo, si sit sicut Dominus eius. [Matth. 10. Secundum est, ad nos mentem reflectere, considerando quod Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.] 1. Petr. cap. 2. quodque si socij sumus passionum illius, erimus & consolationis [ex posteriori ad Corinth. cap. 1. siue quod si compatimur, conglorificabimur. Neque condignas esse passionis huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.] ad Rom. cap. 8. Tertium est, voluntate sic affici circa aduersa vt

desideremus illa patienter ferre; & quando aduerint, desideremus nobis pariter adesse patientiæ donum: de quæ nobis diffidentes, confidamus in Christo, qui amore nostri passus, vel dabit ipsam patientiæ virtutem: vel si expediat liberabit nos præteriti molestiæ, quæ perseuerans placere debet, tanquam ea per quam iuxta Apostolum ad Hebr. 12. Christus se nobis offert tanquam filius, de æterna salute nostra sollicitus, vt pro illa obtinenda patiamur amore illius, qui amore nostri dignatus est etiam in cruce mori. Quid igitur aduersi nobis acciderit id diuina ordinatione immixtum esse existimandum est, ac tanquam de manu patris amantissimi, scientissimique Medici, accipiendum; qui illud aduertere potuisset, & sine dubio aduertisset, si expedire vidisset: neque patietur nos tentari supra id quod possumus, sed faciet cum tentatione prouentum vt possimus sustinere [ex prioris ad Corinth. cap. 10. Illius enim promissio est Psal. 90. Clamauit ad me & ego exaudivi eum, cum ipso sum in tribulatione, eripiam & glorificabo eum.] Cum igitur ea sit Dei bonitas, vt maioribus necessitatibus maiori auxilio adsit, & ex maiori tentatione, maiorem eliciat prouentum, quo maiores afflictiones nos pulsant, eo gratiores esse nobisque magis placere debent: quod facile est, si iuxta Apostolum ad Galat. 5. carnem nostram crucifixerimus cum vitiis & concupiscentiis: sique Spiritu viuente Spiritu & ambulemus. Non item si inimici crucis Christi terrena sapiamus, vt ij de quibus idem Apostolus ad Philipp. capite 3. loquitur.

De adiumentis patienter ferendi aduersa nobis infligita ab aliis.

#### SECTIO XIII.

**S**pecialiter autem ad patienter ferenda pro Christo aduersa, quæ inferuntur nobis ab aliis, sequentes considerationes iuuabunt. Prima est, faciendum esse (vt dici solet) de necessitate virtutem: etenim multa mala sunt, quibus obnoxia sit hæc vita, ea pati necessitas vtget nos. Id quod est tolerandum patienter pro Christo, vt profit nobis ad salutem. Secunda est, impatientiam in aduersis ferendis, siue iactus latentem, siue externis dictis aut factis expressam, non alleuare, sed aggravare illorum pondus & molestiam: quia impatientes tanto magis eticiantur, quanto magis contra suam voluntatem patiuntur. Nobis ergo patientia debet esse commendata, quæ æquo animo, qui de manu Domini bona suscepimus, mala quoque sustineamus. Tertia, diuinam iustitiam nullum peccatum relinquere impunitum. Melius autem esse in hoc seculo puniri quam in future: vbi longè grauiora & acerbiora sunt supplicia. Præsentis ergo vitæ mala libenter acceptanda sunt tanquam leuiora iis, quæ peccatis nostris debentur, ac tanquam ea quibus apud Deum mereri possumus, adhuc in via consistuti. Nam ex Apostolo in posteriori ad Corinth. cap. 4. Id quod in præsentem est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternam gloriæ pondus operatur in nobis.] Quod idè est ac si dicatur, breuissimo tempore tribulationis huius vitæ, respondere infinita gaudiorum sæcula.

Vnde sequitur, huius vitæ tribulationem, sicut & prosperitatem, habendam esse pro Dei beneficio, pariterque pro ea gratias illi agendas esse, per sacrificium laudis offerendum ad imitationem Davidis, cum in Psal. 33. diceret, Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo. In Domino laudabitur anima mea, &c. Accedit ad beneficij rationem, quod aduersa sint quasi subsidia ad ingressum in regnum cælorum. In quod per multas tribulationes oportet nos intrare, habetur Actorum cap. 14. ita vt illi à quibus inferuntur, in benefactorum potius, quàm in malefactorum habendi sint numero. Quarta est, ad conuersionem æternæ salutis nobis esse viuendum non ex propria sed ex Dei voluntate, iuxta illud Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.] adeoque vt in agendo, sic & in patiendo voluntatem nostram subiciendum omnino esse voluntati diuinæ: ac quam nostris humeris crucem Deus imposerit, æquo fortique animo ferendam esse. Ad quod opus est exul amore proprio, per quem aduersa nobis dura &

ingra-

ingrata redduntur; indni verò Christi crucifixiamore, per que in eorundem aduersorum perpeſſio ſuaus redditur, dulcefens ex deuota recordatione, affectuoſoque amplexu crucis: quod præfiguratum eſt Exod. 15. per lignum, quod à Moyle Dei iuſſu miſſum in aquas amaras, effecit eas dulces. Talis ſuauitatis participes fuerunt Apoſtoli, cum ibant gaudentes à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati ] ex cap. 5. Actuum. Itemque ſancti illi Martyres, qui cum acerbis ſupplicij cruciarentur ſauiffimè dicebant ſe nunquam tam in cundè epulatos eſſe. Illi etiam quos D. Paulus ad Hebr. 10. ait, rapinam bonorum ſuorum cum gaudio ſuſcepiffe. ] Et demum ordinariè illi qui multum forueant charitate, & tanquam pleni Deo ] qui per eam in ſanctis manet 1. Ioan. cap. 4. ] voluntatis appetitum habeant ſatiatum: quod nequeunt præſtare reſaliè, quibus qui paſcuntur ſeruientes amoris proprio, nunquam ſatiantur vt docet experientia. Eſti enim res omnes que in mundo ſunt in vnum congeras vt earum amore animam impleas, ſatiſue illius appetitum voluptatis, adhuc tamen illa manebit inanis, vt pote que Dei inſidii capax eſt. Vique quod igitur filij hominum diligitis vanitatem & queritis mendacium ] Pſal. 4. Relinquitis fontem aquæ viuæ & foditis vobis ciſternas diſſipatas que continere non valent aquas ] Ieremie. tertio.

De voluntaria ſuſceptione aduerſorum.

## SECTIO XIV.

181. **D**e perpeſſione voluntaria, ſeu quam patiens offerendo ſe Chriſto in ſacrificium, ſibi ipſe inſiſgit monendum reſtat particulariter; reſtitutionem illius pendere ex debita intentione & ex diſcretionem cum qua ſuſcipi debet. Cenſetur autem intentio debita, quando perpeſſio ipſa ſuſcipitur ſiue ex amore Chriſti crucifixi; vt ipſum in inſirmitatibus, quas noſtri cauſa ſuſcepit honoremus: ſiue ex odio peccati, vt in nobis vitia mortificemus; carniſque illecebras quibus ſouentur, reprimamus: ſiue ex zelo iuſtitie, vt Deo ſatiſfaciamus pro noſtris reſibus. Diſcretio verò aderit, quoad eos qui ſub regula viuunt quando ſequentur in omnibus Superioris ſui præſcriptum; ſe totos in ſimplicitate cordis eiſperientes & ſubmittentes. Quoad alios autem, quando ſeruauerint quod ratio dicitur, quale eſt. Primum ſi frequentes ſint in mortificationibus, ſint etiam varij, modò in vno genere, modò in alio ſe exercentes, ſic enim fiet, vt non opprimatur afflicta natura, & vt nauſea euitetur. Secundò cum in mortificatione ratio præcipue habeatur animæ, ea tenus eligatur talis perpeſſio, quatenus ad bonum ſpirituale conducit. Corporis enim ratio habenda eſt in illa, ita ſcilicet vt punitiua ſit, nõ leſiua: ſeu que carnem affligat quidem, ſed non corrumpat vitam, reddatue hominem in uſile. Tertio, ſi ſicut afflictio propter Chriſtum ſuſcipitur, ita etiam propter Chriſtam relinquatur, ſi quid occurrat Deo gratius, quod ita fieri poſſulet.

De eiuſdem perpeſſionis magnitudine nõ adum occurrat, eam ſpectari, tum ex grauitate malorum que tolerantur: tum ex eorundem multitudine & continuatione: tum ex amoris vehementia, cum qua propter Deum, vel proximum tolerantur: tum ex conditione perſonæ tolerantis: tum ex commodis relictiſ.

De fortitudine denique eiuſdem monendum eſt, eam conſiſtere in perſeuerantia, que creſcat potius quam abrum-patur ob longam continuationem aduerſorum, neque diſſi-cultates deterreat: ſed generosè ſeminetur in lachrymis, quod cum exultatione meretur, iuxta illud Pſalm. 125. Qui ſeminant in lachrymis in exultatione metent. Eunt ibant & flebant mitentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos.]

## CAPVT DECIMVMQVINTVM.

De ratione tenende viam ſalutis prout poſteſt Penitens à Confeſſario de illa moneri ac inſtrui.

## SUMMARIVM.

182. Ea in quibus via ſalutis conſiſtit.

183. Circumſpectione viam andum eſt præſens peccandi periculum, &amp; que ad eam pertineant.

184. Remedia generalia ad vitandum futurum peccandi periculum, quorum primum eſt oratio.

185. Non eſſe diſputandum cum Diabolo, ſed eſſe in Chriſtum crucifixum reſiſtendum, ſermato ſigno crucis ſi non manu, ſaltem mente.

186. Recuſus ad patrem ſpiritualem &amp; præparatio animi ad quiduis potius patiendum, quam peccandum.

187. Cuſtodia cordis &amp; linguæ.

188. Operatio boni continetur in via ſalutis, ac quod ea requirit bonam memoriam &amp; bonum intellectum.

189. Bonam quoque voluntatem requirit: quam rectam, in egnam, ac fortem eſſe curandum eſt.

190. Requirit denique bonam executionem: quam curandum eſt eſſe cum acceleratione, alacritate &amp; perfectione.

191. Que ad id conferant.

192. Operatio boni in ordine ad Deum triplex.

193. Ad eam iuuantia nos.

194. Adiuuenta operandi bonum in ordine ad proximum.

195. Adiuuenta operandi bonum in ordine ad noſiſos.

196. Documenta quedam particularia pro diuerſi generis hominibus.

**C**um ſalutis via conſiſtat in eo, vt in conſpectu Chriſti conſtituti, cum humilitate & patientiâ ſecundum antedicta, declinemus à malo & faciamus bonum ex vero illius amore (vt patet per illud quod ex Pſalm. 33. inculca. D. Petrus in prior ſua epifſola, cap. 3. Homini diligenti vitam & volenti dies videre bonos, declinandum eſt à malo, & faciendum bonum) dicendum nobis eſt, tum de ratione diuertendi à malo ſeu vitandi periculum peccandi; quod poteſt eſſe aut præſens, aut futurum: tum de ratione faciendi bonum, ſiue in ordine ad Deum, ſiue in ordine ad proximum, ſiue in ordine ad noſiſos.]

De ratione vitandi præſens peccandi periculum.

## SECTIO I.

**R**atio vitandi præſens peccandi periculum conſiſtit in circumſpectione ad quam ſequentia pertinent. Primum eſt, vt ſtatim ac mala cogitatio inducens ad aliquid peccati inſurgere aduertitur, Chriſto propoſito ante conſpectum noſtrum, conſiderandoque in eo tanquam in exemplari, illa que particulariter egit vel paſſus eſt, vt ad talis peccati vitantionem nos inſtrueret. Exemplum ſit, quod vt nos ad euitationem arrogantie inſtrueret, abiecerit ſe ad diſcipulorum pedes lauando eos ex cap. 13. D. Ioann. Vbi id ad noſtram inſtructionem ſe feciſſe declarat in quibus: Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.]

Secundum eſt, tunc præſertim neceſſarium cum tentatio vehementius urget, vt Chriſtus præſens conſideretur quaſi petens à nobis ne ipſius vulnera, iniurias, dolores, & ignominias renouemus: ſanguinemque ſuum omni auro & gemis pretioſiorem perdamus cſſum pro noſtra ſalute; cuius tanti theſauri ſacturam facimus ſuccumbendo tentationi peccati mortalis. Quæ conſideratio magnam vim habet ad nos ſiue amore, ſiue metu Chriſti permonendos ad obſiſtendum animosè offerenti ſe periculo peccandi.

Tertium eſt, vt Chriſtus conſideretur quoque tanquam fortiſſimus adiutor, qui præſto eſt nobis, ſi confidentes in eo, & de nobis diſſidentes, humiliter auxilium ipſius imploremus per interceſſionem Sanctorum ſuorum; maxime Beatiffimæ Matris: ſiue item conſideretur tanquam ſpectator & Iudex vitæ noſtræ: vnde incumbit nobis neceſſitas circumſpectionis, qua (vt eſt apud Michæam in cap. 6.) ſollicitè ambulemus cum Deo noſtro: vt cum eo ſcilicet, qui ex Iob. cap. 31. vias noſtras conſiderat, & cunctos grefſus noſtros dinumerat.]

Cæterum inueteri Chriſtum præſentem conſiderando illum tanquam Iudicem, expedit maxime iis qui facile labuntur in peccatum; quique ita duri ſunt corde, vt non facile compungantur; talibus enim timor vtilis eſt. Conſiderando verò adiutorem, iis qui in vitæ probitate ita profecerunt, vt non ægè moueantur ad bonum, nec facile peccent. Quos nondum perfectos iuuat adhuc ſpe in Chriſtum erigi & ſuſtentari. Conſiderando demum vt ſpectatorem ſeu teſtem, iis, qui ſciam perfecti ſunt, vt omnia agant ex Dei puro amore; qui tam pij affectus ſibi conſci, recreantur, & accenduntur aduertentes ſe agere Chriſto ſpectante & teſte.

Quar-

Quartum est, ut inter agendum nunquam permitamus nos iracundo perturbari ut ratio desit suo officio: quod Dæmon satagit maxime; et quasi arci machinas suas sapientissime admouens, inmissis tentationibus quibus conatur efficere, ut omnia in ipsa rationis arce, susque deque ferantur; ne cum eo cum quo par est timore, enormitas & pernicies peccati lapsuque facilitas attendatur.

Quintum, præcognitas habere proprias inclinationes malas & ex meditatione, vel piorum librorum lectione, vel concieniam auditione vel alia ratione pro cuiusque captu, parata habere remedia quibus quasi armati, illarum impetum sustinere ac propulsare valeamus vincendo præsentem tentationem.

Sextum est, ut nihil agamus vel dicamus præcipitanter, sed semper rationem sequamur, non autem præcurramus; neque à nostra potestate quasi egrediamur; sique egredi cōtingat, ad nos redcamus, nec excusatione culpā augeamus. Vbi autem steterit atque peccauimus, inspicendum esse modum & occasionem qua sic lapsi sumus, statimque de adhibendo remedio, consilium capiendum esse: quia tunc solent optima remedia occurrere: & Dæmon, quasi in ipso factus deprehensus, confunditur; nobisque displicet magis peccatum, illuminante nos Deo, qui non vult mortem morientis sed magis ut conuertatur & viuat. ] *Ezechielis 33.*

*Deratione vitandis futurum peccandi periculum.*

### SECTIO II.

184. **H**æc ratio consistit in usu eorum quæ censentur remedia esse aduersus peccata: quorum nonnulla sunt specialia pro vnaquaque peccatorum specie: alia verò communia pro quibusvis propulsandis accommodata. De illis commodius dicitur in sequenti parte cum agatur de prudentia Confessarii in imponenda satisfactio: quam curandum est talem esse, ut contineat remedium aduersus peccata, quibus Pœnitens obnoxius esse cognoscitur. De communibus dicemus in præsentia tunc.

Primum igitur est oratio, qua quis ad Christum conuersus de se diffidens, & in eo confidens, quotidie mane se muniat contra omnia mala quæ possunt per totum diem sibi accidere, addita pialiqua meditatione, vel lectione; præsertim de ipsius Christi passione, cuius considerationem aliquid spiritualis roboris addere ad vitam perditionis declinandam, indicat illud Domini *Ioan. 3.* Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam æternam. ] Quod esse quoque iudicandum de consideratione nouissimorum nostrorum, patet per illud *Ecclesiastici 7.* In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua & in æternum non peccabis: ] ita ut primum illud monitum oporteat ad vitanda peccata commendatum esse.

*Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gaudia celi*

*Et dolor inferni sunt meditando tibi.*

185. Secundum est, cum Dæmon hominē tentaturus seu sollicitaturus à peccatum, soleat difficillima quæque contingenda in resistendo proponere ei, ut tertium desistere faciat ab incepto: aut si id non succedat, disputationem ita callidè instruere, ut rationum multitudine & improbitate fatigatum succumbere faciat. Cum, inquam, hoc ita sit: consiliosissimum esse, fugam potius ordinare; recurrere ad Christi auxilium, quam cum tortuoso illo serpente quasi manus cōterere. Nam in illa colluctatione (quæ teste Apostolo ad *Ephes. 6.* nobis est aduersus Principes tenebrarum harum) perniciosum esse quasi propriis viribus subnixos, in arenam descendere: non raro docet experientia in nonnullis, qui Dæmonis potius, quam Dei instinctum secuti; vel res difficilliores audacius aggrediuntur, vel cum Dæmone libenter disputant: quorum illi facile despondent animum: hi verò citò turpiterque victi, citò ac turpiter cadentes, desperant omnino de victoria vnquam obrinenda. Immo, quod peius est, intere dum non venentur talis miseræ suæ culpam referre in Deum: quasi nimis difficilem salutis viam, & naturam nostram nimis imbecilem fecerit. Quæ impletas arguitur per illud *Osee 13.* Perditio tua Israel: tantummodo in me auxilium tuum. ]

Tertium est, recursus ad Christi crucem in omni tenta-

tionem formandam: tum manu cum potest, quod magnum habes momentum ad bustem nostrum in fugam vertendum: tum maxime mente, per fidem quæ est in Christum pro nobis mortuam, ut Diabolum ipsum destrueret, qui habebat mortis imperium. ] *Jad Hebr. 2.* Tanto enim splendore micat talis fides igne charitatis accensa, ut Princeps tenebrarum illum non ferat; sed citò fugiat aut grauissimè crucietur. Vnde hortatur D. Petrus in *priori sua epistola cap. 5.* Aduersarius vester Diabolus tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide. ] Tanquam muniti scilicet, præsidio firmissimo Crucifixi, qui terrerim illum Leonem vicit, Leo de tribu Iuda, *Apoc. 5.* ac ita vicit; ut fortior superueniens ex *Luca cap. 11.* vniuersa arma eius abstulerit in quibus confidebat. ]

Quartum est, recursus ad consilium Patris spiritualis; le integrè illi aperiendo, & corque nudum exhibendo, submit-tendoque se illi cum voluntate obediendi in omnibus tanquam tenenti locum Christi: qui defectus ipsius si qui contingant, supplebit: quandoquidem eius magisterio tantam addidit autoritatem, ut tanquam seipsum audiendum esse voluerit, dicens *Luc. 10.* Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit. ]

Quintum est, præparatio animi ad ferenda quæcumque aduersa potius, quam ad Christum offendendum peccando: atque ferenda non tantum modica illa, quæ quotidiana sunt; sed etiam grauissima, & qualia pro nobis ipse pertulit: spinis capite coronato, clavis manibus ac pedibus perforatis, reliquoque corpore verberibus confesso: Passus enim est pro nobis, nobis relinquens exemplum ut sequamur vestigia eius. ] *1. Petri 2.* Nec est discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficitque discipulo, ut sit sicut magister eius, & seruus sicut dominus eius. ] *Matth. 10.* Neque coronabitur, nisi qui legitime certauerit. ] nec legitime certabit qui ducem exemplo præerunt non est paratus sequi, & laborum ac molestiarum socius fieri. dicente Apostolo ad *Rom. 8.* Sillis: & hæredes, hæredes quidem Dei, coheredes autem Christi: si tamen compatimur ut conglorificemur. ]

Sextum est, custodia cordis: (de qua *Proverb. 4.* *Omni custodia custodi cor tuum*) eum non permittere cor nostrum vilo modo affici erga res vllas huius mundi, nisi quatenus & quousque Deo placere arbitramur; siue affectus sit amoris, siue odij, siue gaudij, siue tristitiæ, siue cuiusvis alterius passionis. Iaq; cum sentimus nos non secundum Deum in moueri amore, vel odio, vel alia passione erga rem aliquam, statim excludendus est talis affectus, tanquam hostis perturbaturus animam nostram: ac in suo quasi semine perimendus, ut pacem internam conseruemus; quæ cum nihil sit in mundo amabilis, debemus omni studio & curâ, inuigilare ut sartam rectam seruemus eam tueamurque: cui Dæmon maxime insidiat, dans operam ut quos lapsu in peccatum mortale sibi subilcere nequit, saltem reddat in seipsis perturbatos.

Cum cordis custodia valde coniuncta est custodia lingue: cui qui bene studuerit plurimorum peccatorum occasionem vitabit: ut constat ex illis quæ D. Iacob. in *sua Epistola cap. 3.* habet de ipsa lingua: & inter cætera: ] quod maculet totum corpus, & inflammet rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehenna: & fit in quæterum malum; plena veneno mortifero. ] In duobus autem potissimum spectatur custodia lingue. Prius est, ne de aliis malè loquaris. Posteriorius ne de templo ea efferas, quæ ad laudem tantum propriam pertineant. Addi potest extirpatio vitiosorum habituum: qui vt nati sunt ex usu peccandi, sic ad eundem faciunt propensos; pro communi scilicet habituum natura. De qua extirpatione vide antedicta numero 150. & 151.

*Deratione operandi bonum.*

### SECTIO III.

188. **A**d operationem boni, quam cum peccati euersione via salutis, seu vita æternæ beatitudinis meritoria cōplectitur; hortatur nos Sapiens per illud *Ecclesiasticus 9.* Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec scientia erunt apud inferos, quo tu properas. ] Circa eam autem curandū est, vt in quâ fini omnium optimo destinata; optimè fiat Ad quod quatuor requi-

requiruntur, bona memoria, bonus intellectus, bona voluntas, & bona executio.

Bona quidem memoria, qua cōseruemus bonas inspirationes, & bona proposita; recordemurque eorum quæ agenda sunt, ac prout expediet ruminemus illa quæ iuuare, excitareque nos possunt ad profectum, & ad bene operandum: vt mysteria nostræ religionis, præsertim Incarnationis & Passionis Christi: Dei item in nos beneficia; eius præcepta, & quatuor nouissima: ac Demum obsequij Deo debiti dignitatem & excellentiam.

Bonus verò intellectus id eo requiritur, vt sciamus bonū à malo distinguere, & ex bonis, melius; & ex melioribus, optimum eligere. Item præponere certa incertis, communia particularibus, permanentia caducis; atque adeo per nos, aut per alios à nobis consultos dignoscere quid iuuare possit ad declinanda quæ Deo displicent, & ad exequenda quæ illi placeant; vt secundum illud disponamus; & ordinemus totum vitam nostram statum; orationes, lectiones, omniaque alia exercitia nostra. Denique in particularibus nostris actionibus finem debitum nobis præstituerit: & præmeditari, quo modo quam acceptissimas Deo illas faciamus: patiter conando sollicitè, vt discere præmeditatis vtamur.

Bona porro voluntas requiritur, vt suauius nobis proferat pacis fructum, de quo Luca 2. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. ] Procurandum est autem primò, vt habeat rectitudinem intentionis; qua homo purè querat Dei honorem: vitæ suæ statum vniuersum actuique omnes dirigendo eò, vt Dei beneplacitum adimpleatur: quod est quidem parui laboris, præsertim exercitatis; sed nihilominus est fructus eximij: siquidem talis intentio opera bona (ex se alioqui vilia) quasi deaurans auro charitatis; facit adeo pretiosa, vt merito sua sint æternæ salutis. Ad quam etiam rectitudinem pertinet, vt velimus operari bonum, non tantum propter Deum, sed etiam secundum Deum: hoc est non aliter volendo, quam ipse vult nos velle: rectitudinis enim voluntatis nostræ optima regula est Dei voluntas.

Secundò procurandum est, vt habeat magnitudinem deuotionis, seu promptitudinis ad omnia quæ spectant ad Dei seruitium: ita vt quasi paratus sit agere, & pati magna ac difficilia propter Dei honorem & proximorum salutem: & quâdo illa peregerit se nihil dignum Deo egisse reputans, suppleat operis defectum magnitudine amoris, quo velit si possit, infinitè illum honorare.

Tertiò curandum est, vt habeat fortitudinem, quâ quis nunquam fatigatus, continuet ac multiplicet quantum potest bona opera: semper volens siue agere siue pati, id quod tunc gratius Deo fore putat: item non sinat in se memoratâ promptitudinem tepescere, siue in sanitate, siue in ægritudine, siue in aliis prosperis vel aduersis: ita vt in omnibus semper querat Dei honorem & proximi salutem: ac demum; quâ sic perseueret vsque ad vitæ finem; quod fortitudinis maximè proprium est. Cæterum quò quis plus habebit de his, eò meliorem habebit voluntatem.

Bona denique executio ad tenendam salutis viam requiritur; quia bona cogitatio, & bonus voluntatis vsus sine bona executione mandatorum Dei non dare aditum ad regnū celorum, patet per illud à Christo Domino nostro dictum Math. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. ] Procurandum est autem, vt ipsa habeat primò accelerationem, quâ non procrastinet quis, nec quidquam eorum quæ magis Deo placere existimat, operari differat sine necessitate. Secundo alacritatem, qua quidquid propter Deum agit, alacriter feruidè; agat. Tertiò perfectionem quâ res inceptas ad finem perducatur, nec torpescendo vilius Dei donum relinquat otiosum. Quinimo non contentus se in rebus debitis exoluisse obligationem, aliquid ex liberalitate supereroget: cum præceptorum obseruatione, consiliorum obseruationem data commoditate coniungendo.

Ad quam procuracionem conferunt primò, assidue ad Christum suspirare pro motu gratiæ obrinendo, ac cum sui diffidentia confidentiaque in illo precari dicendo: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina: vel aliud eiusmodi: Secundo rerum à nobis agenda rum plenum habere iudicium, efficacemque voluntatem cum inuouatione propositi bene operandi. Tertiò existimu-

lare nos, stimulo amoris Christi, & spei in ipsum, addita impositione alicuius peccati, quam subeamus, ac seuerè à nobis exigamus si contingat nos deficere. Quarto collectum habere animum in id quod agitur quantum fieri potest: non autem ipsum in res plures dispergere. Quinto magnificere, magnique momenti id esse ducere, quod agimus, nec ad alia agenda nimis festinare. Sextò mortis habere memoriâ, quæ quodcumque acciderit, præscindet omnem occasionem operandi meritorie sibi que bene prouidendi pro vitâ futura. Forte autem ea acciderit crâs, vel etiam hodie; breues enim dies hominis sunt, Job. 14. vt merito dicâs cum eodè in precedenti cap. 10. Nunquid non paucas dierum meorum finietur breuis? Vigilate dixit Dominus: quia nescitis diem neque horam. ] Math. 25.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad Deum.

SECTIO IV.

VT ad vitandum malum dantur remedia, sic ad operandum bonum dantur adiumenta: de quibus dicendum est, primò quoad operationem boni in ordine ad Deum: deinde in ordine ad proximum: ac tandem in ordine ad nos ipsos.

Operatio autem boni in ordine ad Deum complectitur triplicem Dei cultum; quorum primus est internus, consistens in actibus fidei spei, & charitatis rectæ magnæ: & fortis ea ratione qua expositum est num. 162. & aliquoties quæstibus. Secundus est externus, vt adoratio, & oblatio sacrificij, quibus recognoscimus Deum esse creatorem & summum Dominum omnium. Tertius est internus simul & externus, consistens in orationibus, laudibus, gratiarum actionibus; lectionibus & sermonibus de Christo honorificè habitis, & plenis reuerentiâ ac piis in ipsum affectibus.

Istiusmodi autem operationem, cultum Dei continentè adiuuat Christus consideratus tanquam vnicus Magister in offeriuita illud Math. 23. Magister vester vnus est Christus. ] Et enim, quia Deum nemò vidit vnquam (quæ ratio tangitur Ioan. 1. vers. 18.) solus vnigenitus filius qui est in sinu Patris, qua ratione à nobis ipse coli velit; potest nobis enarrare; & maxime; quod sicut quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis qui in ipso est, ita & quæ Dei sunt nemo cognouit nisi Spiritus Dei: vt habet apostolus in priori ad Corinth. cap. 2. Ob oculos igitur habendus est Christus, considerando ea quæ egit & passus est, constituit, & docuit, vt quoad mentem nos instrueret de ratione, qua Deus à nobis colendus est in hac vitâ & glorificandus: quasi manu ducendo in notitiam potentie, sapientie, bonitatis, cæterarumque diuinarum perfectionum ipsius: & prouenientum ex illis beneficiorum puta creationis, conseruationis; redempcionis, iustificacionis & glorificacionis futuræ, quæ nobis per Symbolum Apostolorum inculcantur. Quoad voluntatem verò, nos prouocet ad tam dignum benefactorè amandum super omnia; laudibus gratiarum actionibus, omni que obsequio profequendum. Quippe menti licet; & voluntari deuotionem imperit, quibus ita maiestati (cui decies millies centena millia ministrant: ] Dan. 7. cultum debitum reddimus. Tu fidel oculo ipsum intueno vt creatori in quo viuimus, mouemur, & sumus, Actuum 17. seu quo largiente, habemus esse, tam naturæ quam gratiæ, & possimus operari & operamur opera, tam naturæ quam gratiæ. Tum deinde cum vera humilitatè nos totos ei submittendo; totamque spem nostram collocando in eius omnipotentia, sapientia, & bonitate. Etenim qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, manum auxiliatricem porriget, sciens nihil in nostrum, seu tenebras & imbecillitates ac peruersitates, quibus sumus ex nobis inepti ad cultum debere ei exhibendum. Ac denique accendendo nos ad eiusdem summæ maiestatis amorè, quo prouocemur ad laudes illius celebrandas; orationes tam pro aliis quam pro nobis, gratiarumque actiones illi offerendas: & ad cultum ipsius promouendum inter homines; ac gloriam eius querendam in omnibus.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad proximum.

SECTIO V.

Istiusmodi esse ista censetur. Primum fratres nostros Christianos inuerti non secundum faciem exteriorem,

sed secundum interiorem Dei imaginem, sanguine Christi ita perfusam, ut illi sint capaces regni cœlestis, hæredes quidē Dei, cohæredes autem Christi, si compatiantur ut conglorificentur, ad Roman. octavo.

Secundum, meminisse tremendi iudicij in quo dicturus est Christus ex D. Math. cap. 25. Amen dico vobis, quonia fecistis vni ex fratribus meis minimis, mihi fecistis: consequenterque putare, si fratres nostri egeant corporali auxilio, nos illud exhibendo, seruire Christo in suo membro: si verò egeant spiritali, recolligere sanguinem ipsius in talibus animabus perditum: ut pote in eis factum sine suo fructu emundationis earum à sordibus peccatorum, & redemptionis à seruitute Diaboli.

Tertium est, ad melius nos excitandos, Christum ipsam intueri præsentem, qui nos horretur vel amice vel comminatoriè, ne se despiciamus in suo membro, pro quo sanguinem fudit, quem que tanti fecit, ut multa præstantissima agere, multa vilissima institueret multa que durissima & ignominiosissima pati misericordissimè voluit.

Quartum est, suppliciter ab eodem petere, ut dignetur nos iurare ad præstandum illud quod in hac re ipse à nobis exigit: siue spirituale, siue corporale ministerium, proximo sit exhibendum.

Postremum est, minimè tentari si ex obedientia, aut iuxta rationis dictamen præscriptumue, occupandi simus circa paucos, vel in rebus minoribus: quasi nos possimus pluribus prodesse & in rebus maioribus occupari. Nam Deus à quo bonorum operum merces expectatur, non tam intuetur quantitatem operis, quam laboris in operando suscepti amore ipsius. Vnde est, quod vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem ex prior. ad Corinth. cap. 3. Et certè, cum nec qui plantat nec qui rigat aliquid sit (ex apost. ibidem) sed qui incrementum dat Deus: dubium non est, quin Deus possit sua acceptatione, exiguo operi magnum valorem dare, & illud ita extendere, ut proficiat quam plurimis.

De adiumentis operandi bonum in ordine ad nos ipsos.

#### SECTIO VI.

195. **I**stiusmodi hæc esse censentur. Primum habere Christum ob oculos, tanquam exemplar & rectissimam bene viuendi regulam: præcipue autem circa id quod acturi sumus, intueri actiones ipsius similes, nobis pro modulo nostro imitandas, simulque obligationem quam habemus bene agendi considerare; ponderatis ipsius beneficiis & laboribus pro nobis susceptis.

Secundum est, ipsos mentis oculos flectere ad nos ipsos qui tam malè tante obligationi satisfacimus; & considerare Christum quasi ostendentem nobis suum sanguinem, quo perdidit animas nostras, ut eas bonorum operum fertiles faceret: ac etiam ad melius conandum excitantem nos: tum prouocatione ad amorem suum, eo quod amore nostris; peccata ipse nostra pertulerit super lignum, ut peccatis mortui iustitiæ viuamus, 1. Petri 2. tum etiam exprobratione cum minis pœnarum, quas ingratitude nostra iuste meretur.

Tertium est, considerare nos tanquam seruos coram domino suo constitutos: ac spectatores actionum nostrarum habere Christum (assistentibus ei Sanctis innumerabilibus) ut Iudicem, qui reddet vnique secundum opera sua, ad Rom. 2. Ita ut nos in vita gerere debeamus, tanquam spectaculum facti Deo, Angelis & hominibus, ex prior. ad Corinth. cap. 4.

Postremum est, excitare fiduciam in Christum, non tantum spectatorem, sed etiam adiutorem nostrum: qui cum sit fons perennis & inexhaustus, ex quo manat omne datum optimum, & omne donum perfectum, quod de sursum est à Patre luminum, Iacobi. facile augebit nostræ cognitionis & modicarum virtutum riuulum, quantum ipse volet amantissimus Pater & potentissimus liberalissimusque Dominus.

Per ipsas igitur preces ad ipsum recurrentum est, implorato Sanctorum ac imprimis Beatissimæ Virginis patrocinio; petendo gratiam qua operemur bona, cum diligentia, discretionem & bona voluntate. Formula precandi ordinariè vsurpanda, est oratio Dominica cum salutatione Angelica, prout ostendit receptus vsus recitandi Rosarium, iis omni-

bus commendatissimus qui studet sobriè iuste, & pie viuere in hoc sæculo expectantes beatam spem &c. ad Titum 2.

Documenta salutis, quæ diuersis hominum generibus in vsu Sacramenti Penitentia dari possunt à Confessario.

#### SECTIO VII.

**Q**uæ hæcenus tradita sunt de via salutis eò pertinent, ut Confessarius in promptu habeat documenta quibus Penitentem de illa instruat; prout in Domino necessarium esse iudicauerit: quem non moneo, non esse tam multa tradenda, ut omnia eidem simul inculcentur; quia satis constat non esse consultum: tum quia ipse obrueretur tot documentorum varietate, & multitudine: tum quia non conuenit cum eo diutius in confessionali hæere, quam opus sit ad audiendâ ipsius peccata pro munere Iudicis: & ad remedia salutaria ei adhibenda pro munere Medici: iuxta illud quod ab initio diximus hoc Penitentia tribunal esse misericorditer à Christo institutum ad peccatoris emendationem, seu spiritalis emendationis curationem. Itaque modus de illis instruendi Penitentem erit, ut nominatim ea illi inculcentur, quibus opus habere cognoscitur ex discernu confessionis ipsius; ad quod deprehendendum, potest mediocriter etiam iudicium sufficere, ei qui & tradita probe tenuerit, & ad confessorem sibi factam bene attendere.

Adhuc verò ultra eadem, quæ quibusvis Penitentibus communia sunt, dantur particularia quædam, pro diuersis generibus hominum diuersa: quorum nonnulla ex factis literis desumpta, iisdem communibus adiungemus.

Ac primò, pro Ecclesiasticis ex D. Math. cap. 5. quod sunt in sal terra, quod si euauerit, ad nihilum valet vltra, nisi ut mita: ut foras & conculcetur ab hominibus. Tum lux mundi, quæ sic lucere debet coram hominibus, ut videant ipsorum bona opera & glorificent Patrem suum qui in cœlis est. Et pro Prælati specialiter. Ex Actis Apostolorum cap. 20. quod debeant attendere sibi & suo gregi in quo eos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisit sanguine suo: maxime cum sint pro animabus suorum subditorum rationem reddituri dicente Apostolo ad Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiaccete eis; ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddaturi; ut cum gaudio hoc faciant & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Id quod inculcandum est iisdem subditis: addendo & illud dictum à Domino Luca 10. Quivos spernit me spernit: moriendoque si vita minus laudabilis sit, non ideo conueniendam esse dignitatem: ut satis indicauit Dominus Math. 23. de Scribis & Phariseis sedentibus super cathedram Moysi dicens: [Omnia quæcumque dixerint vobis seruate & facite; secundum opera vero eorum nolite facere.] Moneudo patiter, Prælati etiam male uiuentibus obloquentes, impium Cham patris irrisorem, imitari: quin non effugit maledictionem, quantum isidem pater ebrius turpiter nudaretur: quia illum non irridere debuit, sed potius auersa facie tegere, ut fecerunt reliqui fratres. Genes. 8.

Pro Principibus & aliis quibus commissum est regimen populi: Quod non sit potestas nisi à Deo: ad Rom. 13. cui cum timore seruire debeant iuxta illud in Psalm. 2. Et nunc reges intelligite, erudimini qui iudicatis terram; seruire Domino in timore & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & peccatis de via iusta. Debeant item commendatissimam habere iustitiam, iuxta illud Sap. 1. Diligite iustitiam, qui iudicatis terram] soliteque cauere, ne eam peruertant, Iudicem habentes Deum, iuxta illud Psalm. 81. Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat. Vsq; quo iudicatis iniquitatem, & facies peccatorum sumitis. Iudicate egeno & pupillo humilem & pauperem iustificare. Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate. Circa quod stauerit moneri possunt, ut coram Deo (à quo remissionem peccatorum expectant & vitam æternam) constituti ponderent, quod sint subditorum suorum conserui, communem habentes Dominum, qui non est personarum acceptor: sed sicut communi erga nos vsus est misericordiâ, instituendo pro omnibus eadem Sacramenta, aliaque salutis remedia; sic communi utretur iustitiâ; reddendo vnique secundum opera sua.



Expendant verba illa *Sapientie* 6. Præbere aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo; qui interrogabis opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte iudicatis nec custodistis legem iustitiae, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis; quoniam iudicium durissimum his quæ præsumunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur: non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus.]

Pro populo autem subiecto; quod debeat sub pœna damnationis se principibus suis submittere, dicente Apostolo *ad Rom. 13.* Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt à Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati Dei ordinationi resistit. Qui autem resistit, ipsi sibi damnationem acquirunt. Item quod iustum honorem deferre, & tributa ac vendigalia debita solvere debeat, dicente eodem Apostolo ibidem: Reddere omnibus debita, cui tributum tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem timorem: cui honorem honorem. Cum quis autem de illorum vexatione conqueritur, hortandus est orare pro illis, sicut hortatur ipse Apost. *in priori ad Timoth. cap. 2.* a. id est id esse bonum & acceptum coram Salvatore nostro Deo.]

Pro coniugiis. Quod id viri debeant diligere uxores, sicut Christus dilexit Ecclesiam *ad Ephes. quinto.* Neque amari esse ad illa. *ad Coloss. tertio,* sed quasi inferiori vasculo mulieribus impertientes honorem, tanquam coheredibus gratie vitæ. *1. Petri 3.* Uxores verò, quod debeant viris suis subditæ esse sicut Domino: quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesie. Vnde sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita & mulieres viris suis, in omnibus *ex cit. cap. 5. ad Ephes. 5.* Monei item debent de eo, in quo facile labuntur: vis quidem permissum esse ornare se, sicut aliquando *(v. habet D. Petrus in prima sua epistola cap. 3.)* sanctæ mulieres sperantes in Deo ornabant se subiectione propriis viris: sed tamen cum verecundia & sobrietate, non in intortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut veste preclara *(v. habet D. Paulus in priori ad Timoth. cap. 2.)* Alloqui expectent illam seneram comminationem *Isaie 3.* In die illa auferet Dominus ornamenta calcemamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discrimina alia & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inares, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliolaria, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & virtas, & thersitra. Et erit pro suavitatis odor, factor: & pro zona, fusciculus; & pro crispanti crine, caluitium; & pro fascia pectorali, cilicium.]

Pro parentibus. Quod debeant filiorum specialem curam gerere, dicente Apostolo *in priori ad Timoth. cap. 5.* quod qui suorum, maxime domesticorum, curam non habet, si dem negavit, & est infidelis deterior. Nec debeant illos ad indignationem prouocare: vt non fiant pusillo animo *ad Coloss. 3.* Sed educare illos in disciplina & correctione Domini. *ad Ephes. 6.*

Pro filiis, quod debeant parentibus per omnia in Domino obedire. *Ex eodem Apostolo in isdem locis.* In quorum posteriore duplex mortuum tangit: vnum honestatis, quia id iustum est alterum vilitatis, quia promissionem habet in suo præcepto. Honora patrem tuam & matrem tuam, vt bene sit tibi, & sis longæuus super terram.

Pro dominis. Quod mansueti esse debeant erga seruos, ac minas remittere, scientes quod vtiorumque Dominus, in cælis sit, apud quem non est personarum acceptio: quod idem Apostolus, *in eodem cap. 6.* illis inculcat. Item hortandi sunt, vt iustas mercedes illis fideliter soluant: *iuxta præceptum eiusdem Apostoli ad Coloss. 4. cum ait,* Domini quod iustum est & æquum seruis præstare, scientes quod & vos Dominum habetis in cælo.]

Pro seruis & mercenariis. Quod debeant *ex eodem cap. 6. & ad Coloss. cap. 3. sub finem* obedire Dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis sui, non ad oculum seruientes quasi hominibus placentes, sed vt serui Christi

facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate seruientes, sicut Domino, & non hominibus: scientes, quoniam vnusquisque quodcumque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino, siue seruus siue liber. Eodem spectat quod *ad Titum 2.* præferat seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes: sed in omnibus fidem bonam ostendentes: vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.]

Cæterum qui diuitiis abundant, monendi sunt de eo quod habetur in *Psal. 61.* Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. & de eo, quod habet *D. Paulus in priori ad Timoth. cap. 6.* Diuitibus huius sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum: sed in Deo viuo (qui præferat nobis omnia abundè ad fruendum) bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facillè tribuere, communicare, & facultate sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Faciant ergo sibi amicos de mammona iniquitatis, qui eos cum defecerint recipiant in æterna tabernacula. *iuxta Domini monitum Luca 16. & meminerint, ex posteriori ad Corinth. cap. 9.* quod qui parè seminat, parè & metet.

Is verò qui necessaria habent quidem, non tamen abundant, inculcandum est illud *priori ad Timoth. cap. 6. ad frandam nimiam acquirendi sollicitudinem.* Nihil intulimus in hunc mundum, haud dubium quia nec auferre quid possumus: habentes autem alimena & quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli & desideria multa inuiliat & nocua, que mergunt homines in interitum & perditionem &c.]

Is denique qui necessariis indigent, suadendum est vt laborent patienter, ad illa comparanda, memores sententia à Deo pronuntiata *Gen. 3.* In sudore vultus tui vesceris pane tuo: & documenta à *D. Paulo traditi 2. ad Thess. 3.* Si quis non vult operari non manducet.]

Senes autem monendi sunt de preparatione ad mortem, cuius nescimus diem neque horam *Matth. 25.* de que mortificandis propriis affectibus & conformanda hæc vita diuinis præceptis: que sunt aduersarius ille cum quo contentiotes esse debemus dum sumus in via: ne forte tradat nos Iudici & Iudex ministro, qui mittat in carcere: in vnde non exeamus donec reddiderimus nouissimum quadrante] *ex D. Matth. cap. 5.* Oporteret tandem exuere veterem hominem, & induere nouum: seu, iuxta Apostolum *ad Titum 2.* abnegare impietatem & secularia desideria, & sobriè & iuste & pie in hoc sæculo vivere expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, Saluatoris nostri Iesu Christi. Hæc æras clamat, Ecce venit sponsus, fides nostra sit vna, quæ operetur per charitatem. Lucerna sit in manibus, non tantum lucens, sed etiam ardeas: ne dicentes Domine aperi nobis, audiamus Nescio vos: & inuenti sine eadem charitate, tanquam non habentes vestem nuptialem, iubeantur ligatis manibus & pedibus mitti in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. *Matth. 22.* Iuvenes autem docendi sunt, quod si velint bene sibi esse, in reliqua vitæ debeant incumbere obseruationi diuinorum mandatorum iuxta illud *Threnorum 3.* Bonum est viro, cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Et illud, quod ab eorundem mandatorum via nunc recedentes, postea remordente ac inquietante conscientia compellentur illud *ex Psal. 24.* vsurpare. Delicta iuuentutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. Seminent igitur in benedictionibus, vt de benedictionibus & mota existimentque non tantum futura, sed etiam presentis vite penas & molestias sibi imminerè ex licentia indulgenti suis affectibus. Denique istdem affectibus suis indulgentes femine, non modò in ornatu immoderato (de quo antea) sed etiam in incessu superbo, aut lasciuo terrendæ sunt illa graui comminatione *Isaie cap. 3.* Pro eo, quod eleuata sunt filia Sion & ambulauerunt extenso collo, & nutibus oculorum ibant & plaudebant, ambulabant pedibus suis, & composito gradu incedebant: devaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus erit in caurum nudabit, &c.]

CAPVT DECIMVMSEXTVM.

De ratione vtendi antedictis, & iuuandi mortii vicinum.

S V M M A R I V M.

- 197 Discretio cum qua vtendum est antedictis.
- 198 Consultum est Confessarium, proprio studio sibi comparare exempla, & Sanctorum d. c. a. quibus iuuet Penitentem.
- 199 Pro extraordinaria industria, recurrere debet ad Deum.
- 200 Necessitas specialis prudentia in iuuando moriente, seu constituto in mortii articulo.
- 201 Adhortandus est moriens cum adhuc valet iudicio, tum ad huius mundi contemptum, tum ad gratiarum actiones & amorem Dei, tum ad spem in eum, tum ad patientiam, tum ad examen conscientie.
- 202 Interrogandus est, tum de fide, & spe in Deum, tum de proposito emendationis, & conscientia quiete, tum etiam de amore Dei & proximi: & an teneatur ad aliquam restitutionem.
- 203 Monendus est orare Deum, Beatam Virginem; Sanctos Angelos, & alios Sanctos, erga quos peculiam habet deuotionem.
- 204 Agenda circa morientem.
- 205 Addita ad Raulinum notata digna pro iuuandis egrotis.

197. **C**irca dicta haecenus, aut dicenda in sequentibus de spectantibus ad Confessarij prudentiam, superest monendum discretioni esse; vt quia non omnes omnium semper capaces sunt, Confessarius iis vtatur, proponendo illa Penitentibus, vel omitendo, secundum quod exegerint temporis & personarum circumstantia, accommodando que se ad cuiusque captum & dispositionem. Nam aliquibus, vt iis qui sepius recteque confitentur & noti sunt, satis est, inquit Polancus in Directorio cap. 2. art. 5. audita eorum confessione inungere penitentiam: nisi remedium aliquod ad aliquos defectus: aut consolatio vel exhortatio, vel instructio aliqua adhibenda videatur. Alij vero qui sapius quidem confitentur, sed minus recte, iuuandi sunt in ea parte, in qua non bene procedunt; vt si videntur non bene discussisse conscientiam, vel peccata non satis exprinere, iuuandi sunt interrogationibus antea traditis in praed. capite 3. Sin dolor deesse, vel propositum firmum abstinendi ab aliquo peccato mortali, vel satisfaciendi, vel aliud necessarium ad Sacramentum; iuuandi sunt per ea antedictis in capite 4. & sequentibus, quae ad talia inducere discretio Confessarij, spectatis personae & temporis circumstantiis, censuerit. Illi autem qui rarius confitentur, sed recte & diligenter se discussisse videntur, non sunt interrogationibus onerandi, nisi aliquid omisisset aut obcurius dixisset notentur, aut aliquid ad emendationem vitae vel profectum spiritalem intelligi oporteat: quod (nec quid amplius) per interrogationes inuestigasse satis est. Similiter illos qui dolorem sufficientem & propositum abstinendi a peccatis praeseferunt, & praeterita confitendo satis aggrauarunt, non est quod Confessarius excitet ad dolorem & detestationem, aut euagationem peccatorum: sed sufficit eis breuiter tactis: tanquam approbando quod habeat talem sensum de eisdem: confirmare ipsos spe veniae; sique opus sit, adhibita consolatione, cum admonitione de adiumentis quibus debeant in futurum vi ad tenendam salutis viam, designatis ex capite 12. 14. & 15. iis quibus prudentia dictauerit, ipsos peculiatiter egere. Quod si aliquo modo quidem; sed non sufficienter sua peccata deestari viderentur, nec tam firmum propositum abstinendi, quam par est ostenderent; iuuandi sunt habita ratione personarum; per ea quae ante notata sunt in cap. 5. & tribus sequentibus.

198. **C**eterum, quod antedicta non illustrauerimus exemplis ac dictis Sanctorum: quae certum est plurimum valere ad producendum fructum expectatum: excusandum est: non modo ex eo quod nimia prolixitas vitanda fuerit: sed etiam quod id relinqui Confessarij diligentiae consultum fuerit hoc nomine, quod ad talia efficacius inculcanda, mirum in modum iuuet ea proponere, tanquam praegustatos a nobis cibos, ac inuentos saluatares & accommodatos ad animae sanitatem restaurandam fouendamque.

Accedita Ioanne Buseo editum Panarium, talia abunde suppeditare. Illa etiam de causa, ipsis relinquimus curam inuestigandi extraordinarias aliquas industrias flectendi rebellem Penitentis animum; quas etsi naturalis solertia nonnumquam suppeditat, res tamen est quae pendet potissimum ex Spiritus sancti impulsu: quem proinde humiliter & cum diffidentia de nostris viribus, postulare oportet: suppliciter, persuasum habendo, irritum sine illius concursu futurum nostrum conatum: vt satis intelligitur ex verbis illis Apostoli in priori ad Corinth. cap. 15. Abundantius illis omnibus laborauit: non ego, sed gratia Dei mecum. Quapropter Confessarius si fructum aliquem ex suis laboribus obseruet in Penitente, non debet illud sibi tribuere, sed soli Deo, ne fecus faciens (ponendo obicem concursui Dei dicentis apud Isai. cap. 42. & 48. Gloriam meam alteri non dabo) impediatur bonum illius progressum sicut nonnunquam contingere competum est experientia.

De speciali prudentia necessaria Confessario ad eos iuuandos qui moriuntur, dicendum seorsim fuisset, nisi quae ad ea spectant ita accurate & ad praesens accommodate persecutus esset, Polancus in libello inscripto Meliodus ad eos iuuandos qui moriuntur, vt nihil amplius desiderari videatur. Eum ergo sibi comparare Confessarius debet & familiariter reddere: memor quod error qui tunc temporis committitur corrigi non possit, nec omnia commodius emundandi animam a peccatis, susceptione Sacramenti Penitentiae recuperari: morte scilicet adimere omnem ad id facultatem, quandoquidem sibi ceciderit lignum ad Austrum aut ad Aquilonem in quocumque loco ceciderit ibi est: Ecclesiasticus cap. 15. Quod est bene finientem vitam, esse felicitati aeternae: male finientem, vero, miseriae perpetuae addicendum.

Memor item quod si vnquam alias, debet bene paratus accedere ad iuuandum proximum; quem morbi vis, aut timor, vel alius affectus distrahit a seria consideratione eorum quae ad animam spectant; minusque apum reddunt ad curandum negotium suae salutis: cum tamen illum interea vehementius infestet Diabolus, qui sciens quod modicum tempus habet (prout Apoc. 12. dicitur) vires omnes exercitae perdendum morientem. Quod si quis optet instructionem magis compendiosam poterit eam petere ex doctrinali Ioannis Raulini tract. 1. cap. 2. 6. Quia vero id opus non est facile obuium, non verebor id ipsum caput hic describere tanquam vtilia continens facientia ad nostrum propositum.

Doctrina Ioannis Raulini de ratione speciali iuuandi Penitentem constitutum in articulo mortis.

**N**Ora (inquit ille) quod instante articulo mortis maxime debent providere amici morientis, vt ipse consoletur & admonetur de salute sua iuxta illud Ecclesiasticus 38. Consoletur morientem in exitu spiritus sui. Si enim, vt dicit Magister Ioann. Gerson, fideles amici curam maximam gerunt corporis morientis, multo magis curam gerere debent spiritus ipsius: & maxime in hac extrema necessitate, in qua probatur fidelis amicus.

Primo itaque secundum eundem, adhortandus est & hoc quadrupliciter. Primo, ad contemptum saeculi huius: idque multipliciter, primo dicendo sibi Dilecte vel dilecta, confidera nos omnes subditos esse potenti manui Dei; & ipsius voluntati: omnes nos, cuiuscumque conditionis aut status, Reges & Principes; diuites & pauperes, mortis tributum soluere necesse est iuxta illud Statutum est omnibus hominibus semel mori. & ideo conformare vos debetis diuinae voluntati, quae vos vocat & deobligare vult hac die, & vocare in suum regnum. Si enim voluistis tempore praeterito, vt vestri serui obediret vobis, & veilent quae vultis, iustum est & aequum, vos qui seruum Dei hodie profitemini, haec eadem velle quae Deus vult, & sentire quod Deus amator hominis, qui propter nos saluandos venit in mundum; non mittit infirmitatem & mortem hoc tempore, nisi propter salutem & vtilitatem vestram: Sique aliquando (vt certum est) moriedum sit, cur non modo, si Deus ita vult praefertim cum de iusto dictum sit Sapient. 4. Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius. Quid desiderabilius, quam esse liberum ab omni peccati periculo? Adhaec venimus in hunc mundum peregrinorum more; vt ex eo transeamus ad Patrem nostrum benignum.

gaum, qui expectat filios suos ad se reuertentes: non ut in a-  
niam in eo stabiliamus; quin potius ut bene, & merito de  
vientes, & ipsi Deo seruientes, horribiles inferni penas  
euitemus & gloriam habeamus. Qui enim re nit, aut coacte  
reueritur ad patrem suum, qui vocat illum benignè & ma-  
gnè, indignus est confertio & hereditate ipsius. Præterea  
in hoc mundo plurima mala perpessus es, & pro vno gaudio  
habito, tria mala vel tribulationes suscepisti: Debet ergo tibi  
gratus esse exitus ab his malis, ad regionem viuorum, in ter-  
ram viuentium, vbi omnia bona abundant: vbi inebriantur  
B:ati ab vbertate domus Dei. Igitur illic habitare festines,  
& toto cordis desiderio anheles, vbi bona tibi præparata  
sunt: quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor homi-  
nis ascenderunt. Inde est quod ista vana, transitoria, & ca-  
duca quæ nec tecum feres, curare nõ debes: quoniam Deus  
in infinitum in mellora commutabit.

Secundò diligenter ad gratiarum actiones & amorem  
Dei adhortandus est, dicendo illi: Recogitosec amice vel ami-  
ca diligenter cum gratiarum actione, à Deo tibi concessa  
beneficia. Primò, quod in hac extrema hora tibi sui cogni-  
tionem dederit: nec te morte subita præoccupauit, sicut  
multis accidit: & de hoc ei gratias agas. Vide quam diligen-  
dus est bonus Dominus qui sic te per totam vitam nutriuit,  
eradiuit in fide sua, & ab infinitis periculis & malis vsque in  
hanc diem liberauit, & adhuc de periculis huius sæculi  
multò ampliori beneficio, hodie ex toto te vult liberare &  
in æterna requie collocare. Quam diligendus est talis Do-  
minus qui nec te deserit in hac necessitate, etiam vbi omnes  
amici deficiunt; & dux tuus erit in aliam regionem tibi igno-  
tam, qui propter te descendit in mundum factus pauper, &  
laborauit triginta tribus annis pro salute tua, passus horribi-  
lem mortem, vt tibi mortem tuam quam doles, dulcem redder-  
et: & resurrexit vt te glorificaret: & in caelos ascendit vt  
locum tibi præpararet. Considera ergo te tantis beneficiis  
auctum: vide quantam dilectionem & amorem debeas erga  
eum habere; quantas gratiarum actiones ei debeas referre  
& nunc refer ei ex toto corde, conatu, & affectione.

Et inde infirmus conetur quoad poterit, affectum suum  
excitare ad Deum & de omnibus his gratias offerre, & con-  
siderare quod bonus est Dominus his qui recto sunt corde.  
Multa alia circa hoc possent per amplius dici, quæ dilectio-  
ni assistentium derelinquantur amplianda:

Tertiò hortandus est de spe in Deum tota ponenda di-  
cendo: Amice vel amica necesse est in hoc transitu confide-  
re in Domino Deo, qui vos conduceret medianibus Angelis  
suis lucis. Non sit vestra spes aut confidentia in homine, qui  
vos possit liberare, (cum nemo sit qui de manu Domini  
possit eruere) sed in solo Deo: quia Beatus vir qui sperat in  
eo. Neque in amicis vestris, sed in Deo confidatis: siquidem  
& opera vestra plena sunt imperfectione: ac si quæ valeant apud  
Deum, id ex dignantissima est bonitate eius, quæ appretiat  
ea quantum sibi placuerit: immo & ab eo processerunt.  
Quocirca necesse est vos sperare & confidere in ipsius mis-  
ericordia: nec vobis in aliquo ex vobis sufficere arbitari: sed  
humiliari sub ipso, veniam de commissis criminibus ab eo  
humiliter postcendo: considendoque quod pro infinita sua  
misericordia eam tibi non denegabit, si ex toto corde petie-  
ris: ita enim canit articulus fidei quem credere debes: scilicet  
peccatorum remissionem, qua possis æternam mortem  
eua dere: qui temporalem nullo modo potes.

Quartò exhortandus est de patientia: dicendo Amice  
solicite cogita te in vita tua plurima delicta perpetrasse, de  
quibus penam ferre meruisti: propter quod huius infirmitatis  
& mortis dolorem patienter tolerare debes; rogans  
Deum vt præsentis doloris acerbitas remissionem operetur  
tuorum peccatorum & purgatorij horribiles cruciatus in  
hanc assilionem tuam, per suam misericordiam commu-  
tentur. Tolerabilis namque est hi: præsentia, quam in  
futuro puniri. Quod si contrito corde petieris, penam ne-  
cessariam tanquam voluntariam feres, & omnem culpam &  
forè omnem penam remittet Deus, certusque paradysum  
introibis: alioquin per impatientiam incutres æternam da-  
mnationem. Præterea maiora tormenta demeruerunt pec-  
cata tua: ideo considerare debes gratiam, quam tibi Domi-  
nus facit, quando illa magna mala in hæc parua & breuia

transfert. Statim enim finem apponet doloribus tuis. Scis  
enim Deum iustum esse & apud eum nihil præterire inultu.  
Ideo si vlciscatur tui in hoc mundo, & non in alio, magnam  
tibi misericordiam facit. Hoc enim petierunt Sancti viri vt  
August. Gregor. Chryostomus & multi alij: & ita quod  
magnis precibus illi obtinuerunt, Deus tibi gratis concedit:  
quare debes patienter tolerare.

Quartò hortandus est vt ad suam conscientiam se con-  
uertat: meditando an in ea aliquid sit, quod Deum offendat:  
dicendo, Super omnia in hac extrema hora constitutus, me-  
ditare circa tuam spirituales salutem: Nunquam enim for-  
tassis in futurum huius meditationis contingeret opportuni-  
tas; omnem aliam relinque sollicitudinem, & curam rerum  
terrenarum quas à te relinquere necesse est: & quæ te infirmu  
nequeunt corruentem à præcipitio eripere. Et ergo qui om-  
nipotens est, bonus, & sapiens, te & tua committit regen-  
da; omnem præterea cogitatum in eum dirige, astantes so-  
lummodo superstitios rogans, vt pro salute tua Deum preci-  
bus exorent. Dedit enim tibi tempus vitæ præteritum, vt  
tuam salutem operareris, & de ea cogitares. Quod si negli-  
genter circa hoc egisti; adhuc ardat Dominus, paululum  
temporis quod restat vitæ tuæ indulgendo, vt ad illam ope-  
randam & cogitandam te applicet. Etenim vsque ad extre-  
mum spiritum paratus est idem Dominus si peniteas, te  
misericorditer suscipere. Ad hoc enim manus suas habet ex-  
tensas, vt quotiens ei per veram penitentiam occurreris,  
velut filius Prodigus ad patrem, post innumera flagitia  
te misericorditer suscipiat, & amplectatur. Ideo ne differas  
ad eum conuerti.

Secundò interrogandus est moriens de multis & multi-  
pliciter Primò de fide, dicendo ei, dilecte aut dilecta vis mori  
& viuere in soliditate fidei Christianæ; tanquam Dei &  
Domini nostri Iesu Christi verus fidelis, & obediens sanctæ  
matris Ecclesie filius: Et responde re debet, Volo: siquæ si  
opus sit recitetur vulgari sermone symbolum fidei, & ad om-  
nes articulos respondeat si possit, quod ita credit. Quod  
si forte (quod absit) infirmitatis causa, vel inimici illusioe,  
quid aliter fantasie occurrerit, quam fides indicet, illud re-  
uocat & pro nullo haberi vult: sed in illa fide vult reddere  
spiritum. Ex potest ei ostendi quomodo in illo lumine fidei,  
ac per illud solum transitur ad lumen æternæ gloriæ iuxta il-  
lud Psal. In lumine tuo videbimus lumen.]

Secundò de spe veniæ; dicendo. Petis à Deo veniam pec-  
catorum tuorum; ac quod contra eius amorem, maiestatem  
atque bonitatem egeris; nec eum prout debebas, honora-  
sti: & respondeat, Peio.

Tertiò de proposito suo; dicendo Habes tu sincerum  
propositum & explicitam voluntatem, vitam tuam in me-  
lius commutare & corrigere? & de cætero à peccatis absti-  
nere si vita comes superfluerit, & respondeat, Habeo. Et o-  
stendatur tunc, quomodo Penitentia non est Deo grata ni-  
si cum tali proposito: & quod pax cum Deo facienda est & nõ  
techna. Deinde super hoc ipsum interrogetur. Rogas etiam  
Deum, vt tibi gratiam det, tale propositum continuandi, &  
non recidendi veramque contritionem habendi.

Quartò de conscientia sua interrogandus est dicendo, Es  
tu conscius tibi ipsi alienus mortalis criminis de quo non  
sis confessus: Optine etiam cor tuum illuminari ad obli-  
torum criminum, si quæ sint, habendam notitiam: & An tu  
libenter ea confitereris, si venient ad tuam notitiam: Atq;  
si aliquem scrupulum, vel aliquid dubium habeat in con-  
scientia, illud reuelat.

Quintò interrogandus est de amore Christi: An ex cor-  
de, omnibus qui tibi nocuerunt intulerunt indulges ob-  
reuerentiam & amorem Domini nostri Iesu Christi, à quo  
& veniam speras: & similiter petis indulgeri tibi & remitti  
ab his quos verbis aut factis, læsisti: & tunc si qui sunt præ-  
sentes quos offendit potest ab eis vel tacite vel publicè vt  
placuerit veniam postulare: & generaliter ab omnibus in  
generaliter.

Sextò interrogandus est de his quæ spectant ad restitu-  
tionem: dicendo Ablata per te, restitui vis integraliter, quã-  
tum ad id teneris iuxta tuarum facultatum valorem etiam  
vsque ad omnium bonorum tuorum cessionem & renun-  
tiationem, vbi alias satisfactio fieri non valeret: & coram

203.

Deo & hominibus veniam iniuriæ petis. Ad quas interrogationes affirmatiuè debet ægrotus respondere. Volo.

Tertio admonendus est infirmus de orando Deum & Sanctos: & primo dicat orans ex corde Deum, Deus meus piissime pater. In manus tuas commendo Spiritum meum. Pater misericordiarum, misericordiam fac huic pauperula creaturæ. A iuua me nunc, iam in hac vltima necessitate: succurre Domine iam animæ egenti & desolatæ, vt non à canibus infernalibus deuoretur: opera manuum tuarum ne despicias; quinimo operi manuum tuarum porrige dexteram. Dulcissime Iesu ob honorem & virtutem tuæ benedictæ passionis, iube me recipi intra numerum electorū tuorum. Saluator meus & redemptor reddo me totum tibi, non me renuas. A dre venio, non me repellas. Domine paradysum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorū sed in virtute & effiacta tuæ benedictæ passionis, per quam miseram redimere voluisti, & mihi paradysum pretio tui sanguinis & nere dignatus es: ipsum mihi conferte festina, propter quem nec tuæ diuitiæ aut tua potentia minuantur: nec ipse paradysus angustior aut minor inueniatur.

Secundò saluet beatissimam Virginem Mariam dicendo: Regina cælorum, mater misericordiarum, refugium peccatorum, reconcilia me vnigenito filio tuo: eius clementiam pro me indigno interpella, vt ob amore n tui mea remittat crimina. Dicat insuper illud vel æquiualens. Maria mater gratiæ, mater misericordiarum, tu nos ab hoste protege, &c.

Tertio Angelos suis precibus impetret, dicens Spiritus cælorum, Angeli beatissimi, ministri Dei, assistite quæso mihi migranti ex hoc sæculo & potenter eripite me ab omnium aduersariorum insidijs, & animam meam in vestrum consortiū assumite. Tu præcipue Angele bone custos meus.

Quarto inquiritur ab infirmo cui Sanctorum vel Sanctarum magis deuotus exiterit, vt illi preces offerat dicendo. O gloriosissimè Sancte vel Sancta singularem in te dum viuerem spem & confidentiam reposui. Succurre nunc mihi in hoc extremo necessitatis articulo laboranti; nunc auxiliij supra modum tempus instat & hora: iam in adiutorium meum intende & sic de alijs quæ possunt obseruari.

204.

Quinto, sunt aliqua obseruanda circa ægrotum. Primò, si nondum Eucharistiam aut extremam Vnctionem suscepit, interrogetur: an eadem Sacramenta deuotè paratus sit recipere. Secundò, si mortuus, prolixum temporis spatium ad suam recollectionem sic habeat, vt nõ morte subita preueniatur, legendæ forent coram eo ab astantibus historiae & orationes deuotæ in quibus sanus & vitens amplius delectabatur; vel recensenda essent diuina præcepta, vt profundius meditaretur, si quid aduersus ea negligenter oblitus deliquerit, vel similis coram eo instructio reciteretur. Tertio, si vsum loquendi perdidit: habeat tamen sanam & integram notitiam ad interrogationes sibi factas, vel orationes coram eo recitatas: signo aliquo exteriori vel solo cordis consensu respondeat: hoc enim sufficit ad salutem. Quarto, præsentetur ei Imago Crucifixi, vel alterius Sancti quem sanus & incolumis venerabatur specialiter. Sic etiam ibi aqua benedicta, aspergenda propter præsentiam malignorum spirituum; & cum ad tractus mortis peruenit, inueter quoad possibile erit orationibus assistendum. Quintò, nullatenus autem, si fieri possit, mortenti amici carnales, vxor & liberi: vel diuitiæ ad memoriam reducantur, nisi in quantum id exigit patientis sanitas spiritualis, & dum alias id omitti conuenienter nequit.

Sextò, non detur infirmo nimia spes corporalis salutis consequenda: ingeratur potius eidem prima monitio superius explicata: sæpe namque per vnã talem consolationem inanem, falsam & incertam sanitatis corporeæ confidentiã, certam incurrit homo damnationem. Quinimo hortandus est patiens vt per contritionem & confessionem animæ sanitatem procuret; quod & ad salutem corporis si sibi fuerit expediens, valere poterit: & inde securior atque conuenientior erit, & melius suæ poterit prouidere sanitati. Vnde & Papa per expressam decretalem cuiuslibet medico corporis distinctè præcipit, ne cuiquam ægrotò corpoream conferat medicinam priusquam de spirituali Medici (Confessoris scilicet) requisitione, eundem mouerit.

205.

Hæc Raulinus; quibus hæc pauca addi possunt vtilia pro-

communi paxi. Primum est insinuandum esse ægrotò qui decumbere incipit, ne capere periclitatur de vita, morbos contingere in partem peccati, non modo originalis ratione cuius omnes homines sunt morti obnoxij. Statutum enim est omnibus hominibus semel mori] *vt habetur ad Hebr. cap. 9.* sed etiam nostrorum propriorum: non est enim homo insus in terra qui faciat bonum & non peccet] *Ecclesiasticus cap. 7.* Sic Rex Ezechias altoqui bonus, ob elationem animi per quam thesauros suos ostendit legatis Regis Babylonis, audiuit ab Isaiã, *ex cap. 38. prophetiæ eiusdem.* Dispone domui tuæ morieris enim, & non viues. Et Dominus nosse *Ioan. 5.* Paralitico se sanato præscripsit inquitens. Vade, noli amplius peccare ne de reuis tibi contingat. Vnde manifestum est recurrendum esse in morbis, ad remedia aduersus peccata. Quæ sunt primum conuersio ad Deum per penitentiam, & debitus vsus Sacramentorum: sicut & aduersus naturales morborum causas, ad medicamenta recurritur.

Secundum est, insinuandum quoque esse, non debere quidem spernere medicamenta, iuxta illud *Ecclesiasticus 38.* Altissimus creauit de terra medicinam, & vit prudens non abhorrebit illam: sed tamen in Deo, non in illis præcipuam spem recuperandæ sanitatis debere collocare: nec imitari illum de quo dicitur in *2. Paralip. 16.* Egrotauit A si dolore pedum vehementissimo, nec in infirmitate sua quæ fuit Dominum; sed magis in medicorum arte confusus est] sed liber se qui Sapientis consilium loco proximo citato dicens; Fili, in infirmitate tua, ne despicias te ipsum, sed ora Dominum & ipse curabit te. Auerte a delicto, & dirige manus, & ab omni delicto munda cor tuum.]

Tertium est, motiua spiritalia patientiæ inculcanda esse, & præ cæteris dno. Vnam est quod bonum Dominum habeamus, nosse salutis amantissimum, qui iis quos affligit, se offert tanquam pater filiis *ex ap. ad Hebr. 12.* salutique animæ ratione consulit: quandò quidem infirmitas grauis *vt dicitur Ecclesiasticus cap. 38.* sobriam reddit animam. Adde, quod in præsentem momentaneam & leuem tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate; æternam gloriæ pondus operetur in nobis] *2. ad Corinth. cap. 4.* Alterum inculcandū, est Christi Domini nostri passio: dicendo quod non sit discipulus super magistrum, nec seruus super dominum suum: sufficiatque discipulo si si: sicut magister eius: & seruo sicut dominus eius] *Matth. 10.* Christum autem non in lecto molli, sed clauis affixum cruci, cum arderet siti, potatum esse acetum, mixto felle: grauissimæque perferentem dolores, irrisiones & blasphemias, perpeffum esse. Si locij passionis sumus erimus & consolationis] *Jex 2. ad Corinth. cap. 1.* Patientiã nobis necessariã est, vt voluntatem Dei facientes reportemus promissionem] *ad Hebr. 10.*

Quartum est, cum eger iudicatur esse in periculo mortis, curandum esse vt exoneratã conscientia (si quæ sit quæ illam grauent) cogitationem omnino auocet à cura temporalium, & eam transferat ad curam æternæ suæ salutis, rogetque amicos ne se ab ea auocent sermonibus alienis, præsertim illis quibus reuocent à cogitatione de periculo mortis, quod euadere non est in sua potestate, sicut est euadere periculum mortis æternæ per veram conuersionem ad Deum, quocumque etiam breuissimo ea fiat tempore huius vitæ: quod tantum diuinæ erga nos clementiæ beneficium, in negotio tanti momenti negligere, extremæ dementiæ est. Relinquat huius vitæ innumeris malis obnoxia, & incertæ curam: & aspiret ad felicissimam & æternam: non exhorrescat portum, expositus maris tempestatibus: nec auerseat vestibulum aulae regiæ, in qua refocillandus est peregrinus laboribus fatigatus. Dicat cum Dauid *Psal. 121.* Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.] Quid melius quam esse cum Deo & Sanctis eius?

Quintum est, agonizantem monendum esse, quod illud sit tempus præcipuum pugne cum Dæmone, cui dictum est à Deo *Gen. 3.* Et tui insidiaberis calcaneo eius:] prouidè imploret auxilium illius, de qua ibidem additum est; Et ipsa conteret caput tuum.] Cui monitioni poterit suauiter adungi huiusmodi exhortatio. O Christum ducem tuum potentissimum conuerte mentis oculos, qui paratior est ad teluandam, quã Dæmon ad te instandū. Mentem arma fide in qua fortis repellas tela nequissimi ignea: non quidem disce-

piando

pando eum eo, sed captivando intellectum in obsequium ipsius Christi iuxta Apostolum 2. ad Corinth. 10. vers. 5. ac dicendo; Credo quia ex Christi doctrina, ita tener sancta Ecclesia à Spiritu sancto edocta. Voluntatem verò animæ spe in ipsum quoque Christum, pro te crucifixum; cuius misericordie non est numerus. Additio tamen diuinæ iustitiæ ipsius timore, si Dæmon iam conscientiam propriorum scelerum voluntatem pulset ad desperationem: sed ad præsumendum de aliqua nostra sanctitate, eam inclinet perniciosè: quandoquidem vix iustus saluabitur ex 1. Petr. 4. Ad armatum quoque se charitate exhortandus est; & maxime is qui decumbit vulneratus ab alio, aut qui afflicendus est extremo supplicio: inculcando nullam superesse spem eternæ salutis ei qui pro Christo nolit acceptas iniurias condonare. Charitatis igne in holocaustum, esse cor nostrum, offerendum Christo, qui pro nobis seipsum obtulit Patri. Imitandum est, ipse passus pro nobis, relinquens nobis exemplum ut sequamur vestigia eius. ] 1 Petr. 2. Maxime autem in eo quod pendens in cruce pro suis crucifixis oratibus oravit. Et non multo post offerendus es iudicandus: ut tibi coram eo bene sit. Petis ut dimittat tibi debita tua, sicut dimittis debitoribus tuis. Dimitte ergo ut dimittatur tibi antequam tradaris tortoribus, & ligatis manibus & pedibus mittaris in tenebras exteriores, ubi erit fletus & tridor dentium. ] Esto indignè tractatus sis, aut falso accusatus, materiam meriti habes maiorem, imitando proprius Christum in condonatione iniuriæ; sicut & in obeunda morte; quam ille innocentissimus passus est indignissimam. Laus Deo



## LIBER TERTIVS.

## DE SACRAMENTALI SIGILLO, QVOD CONFESSARIVS SERVARE TENE- TVR PERACTA SACRAMENTI Pœ- nitentiæ Administra- tione.

## P R A E F A T I O.

**A**CTENVS exposita sunt, quæ spectant ad Confessarij condiciones antecedentes aut comitantes Sacramenti Pœnitentiæ usum: superest una, quæ eundem usum sequi debet, nempe fidelitas sigillum secretum ve Sacramentale ex eo dicitur, quod auditur in Sacramentali confessione, compellat altissimo silentio contegi. Illius autem explicationem passim Theologi persequuntur in 4. dist. 21. aliqui dist. 18. ut Sotus quest. 4. art. 5 & 6. Canonista, in cap. Omnia vtriusq. sexus. De Pœnit. & remiss. Summularij in verbo Confessio, vel Confessor: alij, agentes de Pœnitentiæ Sacramento, ut à Victoria in summa de Sacramentis, n. 186. & alijot sequentibus, Medina in Cod. de Conf. q. 45. & deinceps vsq; ad finem. Nauarr. in Enchir. cap. 8. & ad e. Sacerdos. De Pœnitent. dist. 6. Quib. accesserunt recentiores, ut Suarez tom. 4. disp. 33. & 34. & Henriquez alios in margine citans li. 6. summe Theologiae; cap. 19. & sex sequent. Quæ autem faciunt & sufficiunt ad nostrum institutum complectemur sex capitibus: quorum primum erit de natura istiusmodi sigilli. Secundum de illius vi obligandi, quanta ea sit. Tertium de illa qui tenentur ipsum servare. Quartum de iis quæ sub ipsum cadunt seu quorum revelatione ipsum frangitur. Quintum de casibus in quibus licere potest reuelare aliquid auditum in confessione. Sextum de prudentia utendi licentia à Pœnitente data reuelandi quæ dixerit in confessione.

## CAPVT PRIMVM.

## De natura sigilli Sacramentalis.

## S V M M A R I V M.

- 1 Quid & quotuplex sit Sacramentale sigillum.
- 2 Sigillum sacramentale institutum est à Christo.
- 3 Sigillum Sacramentale maius est quocumque alio, gratissimaque pœna iure canonico puniatur illius v. latio.
- 4 Ea est sacrilegium, suo genere inordinatum, si de se non reddat confessionem in iudicium.
- 5 Humanum tantum est sigillum, non autem Sacramentale, cum sine sacramentali confessione dicitur Sacerdoti; Hoc tibi dico in confessione.
- 6 Ex confessione facta non Sacerdoti, aut non habenti sufficientem iurisdictionem potest oriri sigilli Sacramentalis obligatio, ob bonam fidem Pœnitentis.
- 7 Non occurrit Sacramentale sigillum, quando Confessarius certus est moraliter non fieri Sacramentalem confessionem: sicut si dubitet.
- 8 Ex confessione facta tantum ad petendum consilium non oritur istiusmodi sigillum; quod tamen non requirit illam sic factam esse, vt absolutio secuta sit.

**Q**UONIAM vt sigillum rem obfirmatam, teneat occultam: sic obligatio seruandi aliquod secretum, impedit ne ipsum manifestetur: per metaphoram (inquit Nauarr. in Enchirid. cap. 8. num. 1.) obligatio seu debitum aliquid occultandi dicitur sigillum diuiditurque (quod idem addit in sequent. num. 2.) in sigillum secreti, & in sigillum confessionis. Illud est obligatio quædam à iure naturali inducitur ad occultandum secretum sibi ab altero commissum: dicitur enim ratio naturalis non esse faciendum alteri, quod tibi factum nollis; nemo autem velit publicari secretum quod alteri commisit. Ergo nec debet sibi commissum publicare: dicente Domino Matth. 7. Omnia quæcumque vultis vt faciant vobis homines; & vos facite illis: ] Accedit quod nisi id obseruetur, percat amicitia, societas, & commercium inter homines.

Istud verò est, obligatio quædam à Christo Domino introducta ad occultandum id quod in Sacramentali confessione detectum fuerit. Etenim Dominus ipse instituit confessionem peccatorum omnium, etiam occultorum: tunc dicitur à saltem, & per quandam consequentiam censetur ea instituisse, sine quibus confessio non nisi incommodè fieri potest: inter quæ certum est ponendum esse secretum; quandoquidem confessio à nemine amaretur; immo esset omnibus exosa, nisi seruetur summe secreta. Non videtur ergo dubitandum, quin lex de celanda confessione ceteri possit ab ipsomet Christo Domino lata: Quæ ratio est Nauarr. ad cap. Sacerdos. De Pœnit. dist. 6. num. 33: Querenti verò ubi habeatur lex illa Christi, iure diuinum de sigillo confessionis? Respondendum est ex Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. col. 4. ibi haberi; ubi occultorum confessio iubetur; cuius difficultatem minuit obligatione ad secretum seruandum, exposcit suauitas iugi, & leuitas oneris Domini.

Sigillum autem confessionis merito censeri maius quodlibet alio sigillo hinc intelligitur; quia ad celandum quodlibet alium sigillum, homo tenetur tantum lege natura: ad illud verò seruandum tenetur, tum lege natura: nam cum homini tanquam Deo commissum sit, ratio dicitur nullatenus reuelandum esse: tum etiam lege diuina positiua vt patet ex iam dictis: tum demum lege humana, quæ arcte & sub graui pœna talis sigilli violatio prohibetur; cum dicitur in cap. Sacerdos. De pœnitent. distinct. 6. Sacerdos ante omnia caueat, ne de his qui ei confitentur peccata sua, alicui recitet, quod ea confessus est; non propinquis, non extraneis, neque (quod absit) pro aliquo scandalo. Nam si hæc fecerit, depœnatur: & omnibus diebus vite suæ ignominiosus peregrinando pergat. ] Et in cap. Omnis viriusque sexus. De Pœnitent. & remiss. Caueat autem omnino, ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo, aliquatenus prodatur peccatorem; sed si prudentior consilio indigerit, illud absque vlla expressione perfonæ caute requirat: quoniam qui peccatum in pœnitentiæ iudicio sibi detectum præsumptè reuelare; non solum à